Theoriae mechanicae physico-medica delineatio: in qua damnosa ejus praecepta ad rationis & experientiae lancem revocantur ac practice emendantur / Cui praefixa est ad ... J. le Mort epistola, ejusdemque responsio.

Contributors

Snellen, Hendrik.
Mort, Jakob le, 1650-1718

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : J. Luchtmans, 1705.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kn74q8gf

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

48820 A
coll. vol.
15
SW

A-xxxiii.k

50069

HENRICI SNELLEN,
MEDICINÆ DOCTORIS

THEORIÆ MECHANICÆ PHYSICO-MEDICA DELINEATIO.

in qua

DAMNOSA ejus PRÆCEPTA

ad

RATIONIS & EXPERIENTIÆ LANCEM

REVOCANTUR,

ac

PRACTICE EMENDANTUR.

cui præfixa est

AD DOCTISS. CLARISS.

D. JACOBUM LE MORT

EPISTOLA, ejusdemque RESPONSIO,

LUGDUNI BATAVORUM;

Apud JORDANUM LUCHTMANS. 1705.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRIS DOMINISQUE PRINCIPIBUS,

D. WILLELMO VAN HOOGENDORP,
JC. SOCIETATIS AD INDIAM ORIENTIS ASSESSORI.

D. ADRIANO ROSMAALE.

D. JOSUÆ VAN BELLE,
DOMINO BANNI SUPREMI S. HUBERTI, TOPARCHÆ IN WADDINGSVEEN, SLEVICI, &c. SOCIETATIS INDICÆ ORIENTALIS ASSESSORI.

D. GODFRIDO COOLBRANT.

MUNERUM, DIGNITATUM, HONORUM PLURIUM QUIDEM CURA MAGNIS;

AT

CONSULIBUS

FLORENTISSIMÆ REIP.

ROTTERDAMÆ

ÆTERNUM SERVANDÆ CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS INTEGERRIMIS,

UT ET
EANDEM
REMPUBLICAM
STRENUE
DEMERENTIBUS,

D. ISACO VAN HOORNBEEK, JC.
SYNDICO.

D. HERMANNO VAN ZUYLEN
VAN NIEVELD, JC.
A SECRETIS.

FIDELISSIMIS
INDEFESSIS
DIGNISSIMIS,

VENERATIONIS & OBSEQUII,
NEC NON
OBSERVANTIÆ
SUÆ

MONUMENTUM
HOC

DICAT, OFFERT, SACRAT

HENRICUS SNELLEN,
MED. D.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO S.

HUmanam quotieſcunque B. L. contemplor in ſcientiis & artibus proſequendis & proponendis diverſitatem, toties ejus infirmitatem aſpicio & confuſionem non abſque dolore intueor. Inter planctum ac riſum poſitus, ſcepticiſmum quodammodo amplectens hæreo, ubi ſtudiorum inutilium vanitatem præ oculis habeo, ignarus quo me vertam; tantâ enim in ſcientiarum turbâ turbata apparent omnia, ipſo Oedipo vel Sibyllâ, aut Apollinis tripode indigentia ad judicioſam explicationem & gravem ſelectionem ficti a vero, dubii a falſo.

In hac verſans ſapientiæ humanæ inquiſitione, fætus ſæpius monſtroſos & abortivos in lucem editos unuſquiſque cernere poterit, in detrimentum ſcientiarum artiumque natos, ita ut ſerio quodam deſiderio eſſet optandum nullos aut paucos in hoc mundo extitiſſe auctores & librorum ſcriptores, niſi eos, quos Deus & natura illuminaſſet. Sed cum tantus ſcribendi fervor & cacöetes ſit finis librorum nullus erit

quam quamdiu hæc mundana Machinâ diversis tramitibus semitisve per homines tot sententiis quot capitibus instructos calcata, explorata, & commentis mere humanis orbi litterato illustrata communicabitur. Utinam nihil proferret homo quam illud, quod vel Deus vel ipsa Dei opera in naturâ dictitarent, demonstrarent, præscriberent! utinam illa ad maturitatem quandam evecta, optime recocta in circumstantiis suis, non in hominum præceptis, aut scholis, cusa, fabricata & limitata ederentur! utinam concordes essent animi in scientiæ veræ ruspatione, & nobili artium inquisitione, ubi simul non solum ad sublimes speculationes conspirarent, sed arduas & pulchras, quæ in artibus ipsis eluceſcunt, naturæ operas! utinam tantus omnium amor esset in scientiâ & arte celebrium virorum, ut sepositis odiis, quibus ad mutuam fere totius sapientiæ ruinam deflagrare videntur, mutua potius ad fulcra conspirarent, inservire usui & generis humani commodo vellent, tandem collatione valde amicâ sua in diversis artibus & scientiis observata, fastu & contemptu omni deposito, conferrent! quantum ad fastigium virtus humana excreſceret, mente potens, manu & instrumentis valida, studiorum progressu prudens, successu atque rerum naturalium operum eventu felix, sibi ipsi, adjuvante Divino

vino numine, excelſam fabricaſſet fortunam; errorum vitiorumque fugatis tenebris in Medico quaſi ſole oculatiſſima Divino-humana gravi talo ſtetiſſet ſapientia. Sed prôh dolor! unuſquiſque potius propriæ fortunæ quam eruditionis faber eſſe vult, & inſtar alius ſcelerati ex ipſo ſcelere & errore, ſuperbo more obtruſis, famam ſibi & gloriam cupit, & nihil aliud venatur.

Vix igitur hæc & ſimilia ruminanti aliter accidere poteſt, quin vel in exſtaſin rapiatur, vel in iram quandam abripiatur, vel in dedignationem veluti trahatur, ut ab ipsâ etiam talium lectione ad commiſerationem quandam, & tandem vindictam cogatur, nimis leviter ab hoc illove, & forſan a me nunc ſuſceptam. Memor ſapientiſſimæ admonitionis Regis vere ſapientis, diu animum compeſcui, manum a tabula retinui, ſilentio omnia ſuppreſſi, ubi ſtulto i. e. indigno aut reſpondendum aut non reſpondendum trutinavi, quid enim utilitatis inde feram? niſi ut ſtultior, vel (ut hujus verbi interpretatione Verulamiana utar,) temerarior apparearn eo, qui me non laceſſit, ſed ſua tantum generaliter vaniloqua mundo & mundanis offert. Nil enim ad me lucri accedet, niſi ut hydræ monſtroſum caput amputem triceps de novo forſan appariturum, prout Herculi olim accidit debellanti monſtra. Salva autem mihi

res Chemia affulsit, ubi idem illud Herculeum exemplar non alium obtinuisse successum meditor, nisi cum detruncata colla igne extirpare valuit debellator. Mihi igitur, post plurimas revolutationes ruminationesque in omnem partem tractas, respondere dignius visum fuit hodiernis delirantibus, novaturientibus ingeniis, quævis præmissa spernentibus, aliorumque opera nobilia rodentibus hominibus, non ut inde gloriam captarem, sed ut talibus tantum suas stultitiæ propriæ lineas exhiberem, ubi probavero nullam ipsos edocere sapientiam, aut paucam in eorum scriptis & dictis latitare, multo minus ibidem sedes suas fixisse doctrinam veram, nullatenus e talibus magno molimine collectis hauriendam vel colligendam; merito enim unicuique dubitare licet, an fibulæ sapientiæ relaxatæ an constrictæ sint, talia non cursim sed pedetentim legenti & cum aliis melioribus ante hac traditis comparanti. Ne igitur miremini Lectores Benevoli & Æqui, quod ego forsan juvenili fervore raptus contra juvenes in campum prodeam, sub castris hodiernorum, novo, si Dis placet, Mechanicorum & Anatomicorum titulo ultra Antipodes sapientum, militantes. Ipse juvenis par cum paribus igitur congrediens, non propria ubique auctoritate stipatus, sed sub laudatissimorum virorum clypeo tutus in lucem prodire coner, illud unicum

venans

venans & pro omni optimo ſpolio petens, ſi ad ſemitas ſapientiæ & prudentiæ veræ reduces viderim viros, tanto cum ſudore tempus inutiliter ſæpius terentes ; condonetis quæſo ubi in conſpectum prodeunt quædam verba nimis acria & falſa, ſunt enim retorſiones hoſtilium verborum ab hiſce ac aliis tam ore quam calamo antehac prolatorum, adeoque ex lege talionis hæc repoſta credatis. Nomina qui ſua hic etiam depoſita inique fert, is aut me credat, umbratile non velle ſuſcipere certamen, aut me in hac pugnâ prout in bello, nullam ſperare ſalutem nec veniam, ſtatuat. Quemadmodum enim honori & laudi eſt digitis monſtrari in pulchris operibus, ſic & in deformibus actis idem uſui venit, ut homo notetur, ſuoque nomine diſtinguatur, prout idem obſervatum video apud eos, qui tam indigne ſui nominis ſtigma ferunt, ac ſi ſoli illi exceptionem hanc mererentur principes imaginarii in ſua arte & ſcientiâ viri.

Quis enim tulerit eos de ſeditione querentes Gracchos ſeditioſos, & quæſo an non idem eſt ſcientiam aut artem quandam denigrare, quam unuſquiſque novit ab hoc illove publice profeſſam, quamvis nomine celato, pugnet, quaſi vero, contra ſcientiam illam & artem. Juſtius ſaltem mihi videtur orbi litterato inſervienti, ut noſcat adverſarii ſententiam & molimina, ſic enim etiam alteram audire partem, eamque judi-

ciosè conferre cum meâ vel aliorum poterit, antequam immature in has aut illas partes abeat, vel concludat lector.

Tandem ut asperum est hominum ingenium, antequam sæpius adeunt lectionem, illamque intellectui suo adaptarunt, in amorem aut odium, ignorantiæ maximæ fulcra, concluse re; rara enim est avis & Cygno simillima nigro, quæ non se ipsam amat, sibique aduletur, præsertim ut Plautus olim pronunciavit, nihil boni a juvenibus sperandum, omnes enim se amant. Huic autem cætui, si velis, & me juvenem adjunge, forsan amore præceptorum & doctrinæ acceptæ nimis tractum, saltem illud æqui bonique tantum consulat omnis senior, ex hisce & similibus juniorum rixis aliquid saltem utilis & commodi tandem emersurum; quæ unica spes honesta & bona supersest mortalibus.

In hujus tractatus parte primâ, Baglivi inconstantem superbiam & doctrinam retundere conor non gravi nec longo, sed levi & brevi stilo, res enim ipsa ornatum negat contenta doceri; nec mea ratiocinia, huic illive sectæ, puta Physicæ Mechanicæ, Anatomicæ, Chemicæ, Galenicæ, serviliter subjicio, ne studia partium sequi & proponere videar, ubique enim aliquid infirmi hæret. Nec mea est intentio ut in Scholis recepta & trivialia rejiciam, nisi in tramites erroneos deviantia. Hujus autem Romani

mani Professoris de fibra motrice tractatum diluere nunc suscepi, posthac reliquas ejus operas aggressurus, nisi suam deposuerit cristam ferocem, ibidemque quid de illo viro celebri sibi vix in unâ paginâ constante expectandum sit, suis coloribus depingam, ut postmodum sileat, aut meliora & modestiora tradat. Arrogantiæ enim summæ specimen est se ipsum laudare, unico etiam hoc titulo damnandus Baglivus; quod unicuique extra cucurbitam caput tollenti in ipsâ præfatione liquidissimum est, non absque rubore legenda superbia Romana! Nequis tamen credat me vel Romæ vel Romanis adversum, honoratissimi enim & sapientissimi in quavis scientiâ viri illic prout & alibi degunt, forsan & eorum numerus ipsis concedatur major, sed quid hoc ad fastum & gloriam hujus illiusve Romani facit, degentis in urbe Roma, cujus æterna mænia viderunt gentes depressa & devastata. Sit urbs illa toto orbe clarissima, quo titulo autem nunc hæc gloriatur urbium gentiumque Dea? forsan intra propria coarctata mænia se Reginam & Deam nominat; an vero hæc non in risum & contemptum assurgent apud gentes, cum intra tam angustos limites illa Regina & Dea suum extendat imperium, plurimis aut par aut secundum. Sed hæc per transitum non per contemtum dicta sint, sunt enim dicta nullius ponderis

deris æſtimanda. Baglivus enim ſit Italus, ſit Hiſpanus ſit Gallus, ſit Anglus, bene eſt, nos non movet regio, ſed doctrina Baglivi inconſtantiſſima & ſuperbiſſima, quam forſan characteriſticam notam ejus Anatomia Modeſtior adhuc expectanda delebit, verum metuo ejus promiſſa in nihilum caſura, poſtquam lucem viderint, præſertim ſi ſupra fibræ motricis ſyſtema fundata prodibunt.

In alterâ parte infamem juvenibus inquiſitionem menſtrualium motuum muliebrium explodo, in illud fere unicum vires meas intendens, ut demonſtrem Mechanici ratiocinii faſtum & abuſum, ubi homines ſectæ ſuæ tantum adulantes non erubeſcunt omnia gratis reponere, quæ nec ipſa natura concedit, nec ipſa ars unquam demonſtrat, ſi pauciſſima, quæ admodum trivialia ſunt, exceperis. Utinam ei, qui mundi fræna tenent, conſulentes humano generi, illud nefas hucuſque ſuſtuliſſent! nunquam in alienam meſſem imperiti, mathematicâ levi ſcientiâ inflati, falcem ſuam immiſiſſent, artibus & ſcientiis aliis maxime noxiam. Cum vix elementa Medicæ artis libarunt, ſtatim ad ſua tecta excurrunt, labyrintheos naturæ receſſus cum ſuis campis liberis, eoſdem, & ejuſdem eſſe facilitatis, utraque ſtudia proponunt; quod ſæpius in ſuis ſcriptis damnat Verulamius, ſed vix de centum unus ſepta & ſylvas cum illuſtrave-

ſtraverit, quin ſtatim verboſus aut cauſatur ſuperos obitum ægrorum præfigentes, aut mentis ſuæ ſuperbiam extollit caſu felix; non ita profecto nidificant aves, ex arte ipſa, non ex alius claſſis ſcientiâ praxis Medica petenda venit, re enim, labore & experientia errores dignoſcuntur, ſcientia vera hauritur, ars ipſa nobilitatur; Dii enim omnia laboribus vendunt, qui improbi cuncta poſſunt. Ideoque ſi juvenem hunc Mechanicum nimio fervore forſan proſequar, illud imputes amori veritatis, & progreſſui ſtudiorum exoptatiſſimo, quibus etiam accedit calumnia Chemicorum tergo indignè affricta; quid enim amabo, egerunt Chemici contra ipſos Mechanicos, quos audio & video ſuo more Mechanico ſemper loquentes & ex illius artis præceptis demonſtrantes. An ſublimior & magis demonſtrabilis ſententia ad doctrinam excolendam & promovendam eſt: ſi dicat Mechanicus, operas naturales accelerari ex velocitatum momentis, & ex ictuum magnitudine, quam cum Chemici evidentiſſimè per ſua inſtrumenta ſpiritualia, ſalina & ignea cauſas & promotiones illorum operum ob oculos ponunt, quorum præſentiâ aut abſentiâ immediate ea offeruntur aut negantur, quæ relationem habent ad ictus, ad velocitates, ad momenta, ad lentorem, ad quietem corporum; imo quis unquam ex hiſce Mechanicorum dictis

&tis augurabitur remedia, cum illa ſint mera corpora, non verba, forſan is qui haruſpex Mechanicus exiſtit, ſua per extiſpicium & viſcerum Anatomiam, auguria deblaterans vana, dubia, incerta.

Quæ, ut longâ Auctorum ſerie probem, præfatio hæc non patitur, cui tamen auctoritate & verbis Clariſſimi ſcientiſſimique viri T. Kerckringii, quibus proæmium ſpicileg. Anatomic. abſolvit, finem impono, nam eos, qui „ jam ſibi ita placent in ſua mathematicâ, ut „ etiam Medicinam velint ad ejus leges revo„ care, nihilque tentari a Medico, antequam „ illud & faciendum eſſe & aliter fieri non „ poſſe demonſtrarent, tanquam ineptos homi„ nes a Medendi Arte præſtantiſſimâ rejicien„ dos cenſeo. Ego certe eos inſanire citius „ Mathematicè demonſtravero, quam illi pro„ baverint, artem hanc Practicam & quæ non „ exigua ejus laus eſt, divinatoriam ad Mathe„ maticorum leges revocandam eſſe. Non „ poteſt revocari omnium regina Artium poli„ tica, non debet Medicina. Agendum in „ utraque eſt ex prudenti judicio & ſervanda „ reſpublica, ægerque ſanandus eſt, antequam „ pereant, dum illi ſuos quærunt, quos nun„ quam invenient calculos, quoſque quærendos „ eſſe gratis aſſumunt, & prudentium omnium „ ingratis.

EPISTO-

EPISTOLA

ad

CLARISSIMUM VIRUM

JACOBUM LE MORTIUM

Chemiæ & Medicinæ

in Universitate Lugduno-Batavâ

PROFESSOREM ORDINARIUM

Præceptorem & Promotorem

meorum olim studiorum

COLENDISSIMUM

POst graves cum morbo colluctationes feliciter superatas, denuo manum intermisso per tempus operi admoveo; sed ecce Baglivi opera nuperrimè Lugduni Gallorum recusa & edita, ad nostras accedunt oras, mille vanitatibus ex arrogantiæ & inconstantiæ fonte hausti repleta. Fateor me ex illorum lectione animi, forsan debito impotentioribus pathematibus, commotum & colluctatum hæsisse, cernens quædam egregiè ex aliis collecta, quædam superbe gratis reposita, quædam figmentis speciosis ornata, quædam amethodos tractata, tandem alia nullius ponderis

deris adjecta ratiocinia & phænomena, erubui postquam Epistolas, ut gloriæ ambitus ubique effulgeret, titulis superbis armatas aspexi, quæ omnia risum movere debent cordatioribus ac liberæ doctrinæ viris.

Interim novum cum hac Gallicâ editione operum Baglivi produxit Italia monstrum, omni Africano tetrius, in te mi le Mortii unice armatum, sed brutis tantum armis defœdatum quibus tuam dignitatem & famam, studioso orbi gratissimam, rodere tentat, per fœdissimam Mathæi Pallilii epistolam Baglivus, iras a vanâ, nescio qua causâ conceptas in te non sustinendo, brevibus hisce furiis actus concepit, & quid mirum, patri non absimilem protrudit progeniem, sed vana & impotentia, crede lividæ mihi linguæ fulmina.

Hisce igitur de causis, quum calumniatorem tua responsione nec irâ dignum, per tuæ ætatis annos censeam, meus erga te amor, Ex jure jurando me adstrictum hippocratico compulit atque coegit, adhuc quamvis in Medica arte juniorem, ut causam tuam contra juvenem, meæ nempe ætatis Medicum, susciperem, principatum & imperium ambitiosè petentem in liberâ Medicinæ republicâ, in qua ultimum semper supplicium servitutem æstimavit quisque Medicus & præsertim Batavus, in liberrimâ simul & illustrissima degens republica. Serviat Asia regibus assueta, Romanus, & Roma in suo servitio superbus divos sibi fingat, sed aliis, quam Germanis,

enis, Anglis & Batavis obtrudat, ut tentare videtur hic juvenis, ipsâ ex facie & picturâ horridus, ex utroque igne atrabilarius, viperinis linguis asper, Idolam Romani fore Medici, Divus Divorum Mandatarius, & mancipium Hippocratis Baglivus cui vix Medicorum aliquis par, (eorum enim princeps *declamatur in Epistolarum ad ipsum datarum & forsan emendicatarum titulis) cui vixaliquid secundum esse videtur in Medicinâ,* degens *ut ipse ait* in urbe Roma gentium & urbium Dea, *ut suo nihil desit pectori tumido*

Si jactationes publicæ flammam & fulgorem edere possent, tu O le Morti jam periisses, ardentes enim & urentes radii undique ac undique eminent in epistolâ hac Pallilianâ, seu potius Baglivianâ, in tuum caput cusa, tuamque in fumum & cineres abiisse personam & famam cernere esset, si hodierni Divi, alterius redivivi Hippocratis, fulmina in te vibrata non existerent fumosa & furibunda.

Deliras profecto mi Baglive, si credas nos colla libera gerentes, jugo auctoritativo Medico vel Romano mero submissuros, tibi sit tua Roma, tua Anatomia, tua in Italiâ tyrannis, absque illis a Româ petitis adminiculis & auxiliis Medicis stabit respublica Medica incolumis Transalpina & Batava, penes nos etiam sunt Viri iis in artibus strenui, deridentes fastum Romanum. Nemo tamen homo sobrius ulla Medicinæ fulcra contempsit, superbiam odit, ut ex versatili gloriolæ cupido in-

genio in omni paginâ à se scripta & divulgata apparet.

Frustranea tua & auguria & documenta erunt, quæ scientiam aliunde non raro furtivam aut imaginariam in tuis libellis exhibent, quorsum enim hæc compilatio? quorsum fastus? nisi ut comprobes tuum ingenium per clientelam dominium affectans. Romulidarum more quosvis orans, ut suffragia occupes, pudore etiam post terga rejecto, ut propriis rebus consulas, per forum Medicum multo comitatu incedens, fronte superbiore inflatus, quam vento follis; hoc enim tua demonstrat epistolaris ostentatio, illud tua manifestat pictura plus quam regia. Profecto qui veram possidet virtutem tranquillus est, simulque felix dici potest: sufficit enim homini honesto, si honore dignus sit, & non insletur levibus inanibusque captationibus & insomniis, quæ honorem ludicrum cito sub falsâ imagine pereuntem præbent, nam tandem in risum & jocum hæc omnia vertuntur, quod vulgarissimum est histrionibus effectum.

Exemplum illius ex tuâ iracunda patet epistola, ubi in principio le Mortium lamentantem *depingis* vix ad magna natum, *in fine ejusdem, illum oras & deprecaris, ut* fastum comprimat *eum commonens,* Horriferum Ajacem a timido Ulysse esse confectum, *quid ibidem auguraris? auspicia propria trade, & ex propriâ sententiâ pronuncia. Tu minaris, tu præcipis, tu jurgia moves, eam saltem ob causam*

ſam quod nomini tuo non litaverit le Mortius, Idolum nullum hucuſque agnoſcens, Deo & Naturâ ducem agens, neminem cordatum & doctum ſpernens, vel contumelioſis verbis irritans, errores placidè corrigens, tyrannicum jugum quovis modo abhorrens, ſuam provinciam illi publice demandatam ornans & forſan ad invidiam uſque extendens.

Si errantium nomina chartis imponere *non liceat, multo minus illud ſuperbientibus decet, quibus, contemni ſe, unicum eſt cordis ſecretum, ſi non adorentur. Gloriam comtemnit, & contemptum omnem deſpicit le Mortius, patientiæ, odii, furoris, iræ, amoris tui parum ſollicitus; ſit igitur tibi tua Roma tumide nimis & ſerviliter amata, nobis Batavia libera, premium hoſpitii & laboris maneat: ex utraque provinciâ, quamvis æque ſordidi, ac honeſti, liberi & degeneres animi prodeant.*

Demiror autem mi Baglive tuam debacchationem in eum, qui ſaltem hucuſque in ſuis ſcriptis te virum eximium, vere laborioſum ac indefeſſum, eruditum & celeberrimum, ſed tantum iniquiorem in Chymicos *dixit; cujus artis planè ignarus eſſe videris, & eo nomine oſor illius exiſtis, quis te Anatomicorum principem & defenſorem ſtatuit? ut tantopere iraſcaris le Mortio, ex antiquioribus repetenti*, optimos Anatomicos eſſe infeliciſſimos practicos, & ex cada-

verosâ ſcientiâ plurimos pronunciare, *nam & illa in aliorum ſcriptis proſtant. Imo tuus præfator & ſimul adulator, de fibris tuis pronuncians*, harum vim & fabricam in cadaveribus explorare ambiguum eſſe *ait; unde ad eos tuam iram convertas oportet. Arguas tanquam juſtus non tanquam iniquus cenſor, & admoneas tanquam prudens & ſciens homo, cum de perſonis & viris loqueris imitandis, quorum notitia tibi valde tenebricoſa & obſcura eſſe videtur? Confundis enim homines gradu maxime diſtantes, confundis ſcriptores cum iis, qui hucuſque non ſcripſere, & reipublicæ litteratiæ incogniti manent. Nominas tales rem inter ſe modeſtè agentes, in quibus ipſa tamen iracundiæ, ferociæ & odii extrema apparuere indicia, propriis hiſce auribus hauſta & oculis viſa; ſed & hæc tuæ ſcientiæ ſigna ſunt ſublimia.*

Tandem Atticam tellurem Latio proximam eſſe *ais*, & exinde huic majus acceſſiſſe doctrinæ & obſervationis pondus; *bella hæc ſunt verba. Sed demonſtratione multâ indigentia. An cum te uno conſpiravit mendax dicta Græcia, ut in flore tuæ juventutis te eruditione clarum redderet. Hoc vereor, quemadmodum miſeri proximi Græciæ Aſiatici, quartâ lunâ abſque dubio nati, afflatu illius Græci numinis deſtituti, omnem amiſere ſophiam, ſolius ſophiæ templi poſſeſſores, ſic & tui ſimiles tandem ſuis excidant conatibus ventoſis.*

Hippo-

Hippocratem imitandum *proponis le Mortio* tanquam Divum, si gloriæ cupidus. *Illum ducem semper sequitur, ubi ex natura pronuntiat, per triginta sex annos praxin exercens, ætatem tuæ vitæ in suis negotiis practicis superans. Sed rejicis hujus ignes Chymicos, cur igitur non rejicis Hippocratem, semper de igne aut calore loquentem, in febribus, & aliis locis, ut & in sterilitate ac fertilitate, ubi ait,* spiritus aut foras prosilire aut non prosilire per ignem aut frigus, *in eâ igitur parte Chemici sequuntur Hippocratem, sed tanquam hominem. Denique cur incusas le Mortium, tanquam ex furnis & ignibus suis pronunciantem? nam te corrigens edocuit, si sanâ mente ipsum perlegeris, quod* hoc erroneum & falsum sit, *simul reprehende S. Paulum Apostolum ubi pronunciat omnium operas examinandas fore per ignem. Cur invectivas non tradis Prophetis, ubi de exquisitissima & ultima probatione per ignem loquuntur? Sed pleræque in Chemicorum tergum affrictæ calumniæ, vel in ipsum non quadrant, vel in juvenilem Chemiæ ætatem repercutiendæ sunt. Nam in omnium artium progressu idem contingere solet, ut Artistæ per gradus & scalas sapiant. nemo etiam Chemicus Anatomiam rejicit, sed Anatomicorum, si ulla sit, superbiam rejicit aut parvi curat; ideoque tu tuis promissis stes, & hiatu tanto digna proferas in Anatomiâ a te fabricandâ; certe non dicet le Mortius, (quem tu* vaniloquum,

confusum calumniatorem, *& quidquid talium est scommatum, vocas) si vera tradideris, nova exhibueris, utilia protruderis, te esse vanum & superbum Romanum*

Sed desisto cum viro colloqui, qui irarum furiis ardet, & ex patientiâ lasâ (sed unde non capio) in furorem agitur per Philosophiæ monita, nisi cum successu prius suo, Hippocraticorum remediorum Hercule, *usus sit* Helleboro: *nam plura sunt, mi le Mortii, quorum ulterius arguere possem Baglivum in media Româ barbarum, & omnium bonorum consensu in eum retorquere, cuncta quæ turpissime in tuam famam evomuit, scias pauca tamen hæc velim, ut hominem intimius noscas & perspicias, qui ingeminare non veretur, te* in tuo libello superbè & tumultuariè congessisse *tua; verum quam justè (cum in te non cadunt) dicta hæc in ipsum retorquentur, æquus dirimet Lector, modo praxin ejus obiter perspiciat, ita profecto dispositam, ut effari compelleris, Auctorem id consilii habuisse omnem Medicinæ ordinem & methodum stabilitam rejiciendi. Si integrum opus conferas, in singulo capite quadrata miscet rotundis, in hoc aphoristicam vel Mechanicam quandam sapiens severitatem, insuper alia ex aliis corradens, sed inconcinnè. Hinc absque dubio Epistolarem Apologiam conscribere, & in ipsa præfatione suorum operum publicare tam anxiè curavit, quod mortalium nemo de te unquam suspicatus est. Si*

totius

totius operis Bagliviani ſcruteris fundamentum, habebis perpetuam ex vagâ novaturientis imaginatione occurrentem contradictionem, ſi alius illius petas faſtigium, invenies ſuperbiam, adulatorum blanditiis coronatam, calumniâ, & livore ab utraque parte ſtipatam. Silentio igitur ejus verba prætereo, quod optimè ſine Chymiâ mederi ſcit, *quæ tamen ipſo teſte* eſt artium nobiliſſima & ſummopere neceſſaria rei Medicæ; *ſine Hippocrate artem medendi neſcit*, quæ ante 50. annos obſcurius incedebat; *prælucente etiam Hippocratis, ultra duo annorum millia, fulgore; quod tempus plerique Medici hujus & Galeni interpretatione perdidérunt; donec prætériti ſæculi felicitas, eos ad ipſam naturæ ruſpationem incitavit, ergo non ab illo, ſed ab hac inquiſitione ſcientiam arti innixam, & per hanc orta magis corruſcabit hæc lux &c.*

Si inſignis ſuperbiæ & faſtus Bagliviani deſideres, vir Cl. exemplum, id peſſimum mihi viſum fuit, ſibi ipſi honorum titulos adſcribere, quorum mentionem nemo fecit, & eoſdem epiſtolis etiam abſque ſcriptorum notitiâ, multo minus veniâ, in lucem mittendis inſerere, ut a doctis viris æſtimari & laudari ſemper & ubique videatur. Hujus facti a Baglivo perpetrati, quomodo certior ſum factus, ubi colloquii occaſio de hac re, brevi ut ſpero, dabitur, aperiam, cum illud ſcribere &

chartis mandare mihi religio sit ; vince , vale, vive, & ex his litteris persuasum habe me semper fore.

tuarum virtutum &
Doctrinæ

Dabam Rotterodami
idibus martii
A. D. 1705.

flagrantissimum cultorem

HENRICUM SNELLEN.

J. LE

J. LE MORT
HENRICO SNELLEN
M. D.

Amico ſuo integerrimo bene vivere & valere!

DEntata hæc charta, littore ipſo loquacior, nugas canoras præterea nihil continens, Baglivi operibus inſerta, ſchytarum quædam Oratio mihi viſa fuit. Siſyphi artibus veluti armatus, ſubventanea parit pulverem oculis offundens, opera, albo reti ubi aliena captare bona ambit, propriis facile pennis capiendus.

Condono autem Baglivo Romane ſcribenti, nam qualis vir talis ejus Oratio eſt, aliena etiam inſania frui, quam ipſe inſanire volo, contentus ſpartam meam, quam nactus ſum ornare. Aliis, ut ventos colant, Ignem diſſecent, in Aqua ſcribant, idolorum ſuorum ſuperba ſint mancipia, haud invideo ſed potius ea admiror. Parum ſollicitus quid de me cenſeat mundus;

tranquillam agere conor vitam curis talibus vacuam; despiciens irarum & calumniarum fluctus, ab hominibus impotentioris animi in me motos, ipsi suos compescant vel agitent affectus, me dulcis saturet quies.

Nobiles tuos autem laudo conatus, eoque nomine me tibi devinctum fateor, meam ubi famam hujus Exteri manibus pedibusque conculcatam protegere in te suscipis. Arduum aggrederis opus, nescit enim semper homo cujusmodi portento eum involvat Fortuna, Illud interim moneo ut semel non sæpe, tales dilutiones asperiores adversariorum a te fiant, ne similis hisce maledicentibus evadas, sed hæc, usui & commodo generis humani ut tua inserviant scripta, annitere.

Verum est amor scientiæ veræ practicæ Medicæ, honos Præceptorum, fervor suæ juventutis, libertas in studiis naturalibus, te incitarunt & abripuerunt ad refellenda aliorum superba scommata & ratiocinia, si Diis placet Mechanica, ita ut lacessitus nunc in campum prodire videaris, excusatione omni dignus. Sed ubi ad ulteriores tuorum studiorum progressus, erudito orbi communicare animus te compellet, neglectis & spretis injuriis omnibus, modestè & erudite tua exhibeto doctrinæ specimina. Multa sunt, crede mihi, quæ militem decent Juvenem, Veteranum, & Ducem dedecent.

Res

Res nunc cum Juvenibus agitur quævis au-
acter protrudentibus, ſua ſola laudantibus,
ut ſuæ immodicæ conſulant Gloriæ ad quævis
ſpirantibus, bene eſt, hos nunc refutare ag-
rederis iiſdem & plane paribus annis & armis
anc palæſtram ingrediens, hæc ſufficiant. Ea
uæ interſeruiſti, Medicis cordatis grata fore
nimitus ſpero, utpote quorum intellectus &
ſus præcipuum reſpiciunt Medicæ Praxeos ſco-
um, non ex Theoriæ cujuſdam vanitate, ut
odie ſolet, ſed ex naturæ Miniſterio colle-
tum.

Ut res omnis tua evadat proſpera, nunquam
rimas ambias, ne ſis Halophanta, cornicum
culos configere non tentes, ſed inſtar gene-
oſioris plantæ ſtatim cum fructu appareas. De-
m T. O. M. unicum Naturæ Architectum &
Gubernatorem, veritatis omnis lucidiſſimum
ontem, Dominum tuum agnoſce unicum, a-
nore omni & veneratione ſumma colendum.
Naturam ejus ex arbitrio & nutu dependentem,
n exercitiis mundanorum corporum proſequen-
is, Ducem & fidum ſocium elige. Ab horum la-
ere nunquam diſcedito. Theſauros lucis exin-
e petito, eos conſummatos & maturos pro-
riis laboribus reddito, hos nunquam ſepelito,
ed orbi, etiam invido & ingrato quamvis, ſuo
empore communicato, parum ſollicitus, quid
e te velox malum pronunciet, recedente ab

auctoritate errorum per aliquot secula receptorum.

Sic laus, honos & gloria, tranquillam tibi mentis possessionem, vitæque beatioris æternam hilaritatem præbebunt, quod toto ex pectore vovet, orat, precatur.

Totus Tuus &c.

Celeri dabam calamo Lugd.
Batav. 1. Junii,
1705.

THEORIÆ MECHANICÆ DELINEATÆ

PARS PRIMA.

EST
VERULAMII
EXIMIUM HOC DICTUM.

Homo naturæ miniſter & interpres tantum facit & intelligit, quantumde naturæ ordine, re, vel mente, obſervaverit: nec amplius ſcit, aut poteſt.

THEORIÆ MECHANICÆ DELINEATIO.

Variâ, homines ſtudio dediti, ad ſcopum propoſitum feruntur, imaginatione; alii enim ad ſcepticismum perpetuum ſuâ trahuntur naturâ; alii auctoritati hominum ſe mancipiorum inſtar ſubjiciunt; alii propriis ſe lactant chymæris, quas ſub ſcientiæ alicujus certæ & conſtantioris titulo divendere conantur. Hinc quibus Mathematicæ placent deliciæ, iis nihil gratius nil jucundius eſſe videtur, cætera ſpernentibus, etiam cum aliarum artium & ſcientiarum deſpectu & detrimento.

Viri igitur forti imaginatione imbuti, his omnem ſapientiam humanam ſubjiciunt, ſolique Matheſi imperium tribuunt auguſtum, leges ex ea etiam invitâ naturâ æternas, uti volunt ſtatuuntve homines, ad infinitum procedentes cudunt.

Auſus conatuum tam arduorum & pulchrorum plerosque capiunt, qui veritatum aliquarum præmiſſarum dulcedine illecti parum de in-

quiſitione rerum naturalium, primâ in fronte conſpectarum & vix in limine ſalutatarum, ſunt ſolliciti.

Breviorum Mathematicarum propoſitionum evidentiæ, auditores & lectores in conſenſum trahunt, concluſionum ſuccinctarum amœnitates, etiam nolentes, in talis doctrinæ aſſenſum & applauſum cogunt, aureâ quaſi catenâ in vile ſervitium trahendos.

Nemo quidem hominum huic refragari poteſt tam nobili ſcientiæ, ſi ejus abuſus in aliis artibus ſcientiisve diſtrahendis ac faſtu temerario proterendis, non tantus eſſet, ac ejus hodierni præceptores & antiſtites volunt.

Imo dolendum potius eſt hanc nobiliſſimam ſcientiæ humanæ partem, aut omnibus aliis doctrinis eſſe inſufficientem, aut ad quasdam circumſtantias evidentiores, demonſtrationes ejus eſſe tam limitatas, ut ex paucis veris ſpecialibus, abſolutè dubia & falſa generalia obtrudere ſoleant ejus fautores.

Sed deteſtandum magis eſt Mathematicos ſub Mechanices titulo, quædam gratis aſſumere atque proponere, quæ omni adhuc carent demonſtratione, nihilominus datorum evidentium nomine coronata, quæ ut aliquid hujus ſectæ patronis concedamus, vix in decimâ occaſione conſtant, in novem deviant aliis præcepta, rariſſime eo collimantia, ut inde certas

tas in practica concluſiones deducere valeat homo naturæ interpres.

Silentium mihi altum erit de irruptione Matheſeos in Theologiam, aliasque ſcientias abſtractas, de ejus fœtu quodam Mechanico imperium in naturam & ejus miniſtrum medicum ambiente quædam exhibiturus, ut exinde ejus tentamen, incertitudo, commodi & uſus in praxi medicâ ſterilitas, veris medicinæ cultoribus detegatur.

Quid plurimi hujus patroni olim jam tentaverint nunc prætermittam, nimis enim longum foret, eorum autem irrita conamina & infrugifera praxis pro demonſtratione evidentiſſimâ ſufficiunt, *parum fiduciæ uſui ratiocinii mechanici in medicina eſſe tribuendum.* Quod nuperrimè publicâ exercitatione de nervis plurimis anatomicis experimentis demonſtravit experientiſſimus totoque orbe celeberrimus Anatomicus G. Bidloo.

Relictis aliis Georgii Baglivii ſtudium ultra ſolida vix ſolidi quidquam continens, ſub quâdam larvâ novi (ſi Diis placet) ſpecioſi de fibrâ motrice inventi, omnia ſua crepantis attingam, tanti Viri inconſtantiam & incertitudinem propriis è ſcriptis pro viribus demonſtraturus.

Humanam omnem œconomiam ejusque diverſitatem in ſtatu integro, a ſolo fibrarum ſtatu diverſo, in turbato, à nimiâ tenſione, criſpaturâ, ut vocat, & laxitate deducendam ingemi-

nat Cl. Vir, adeoque Methodica ſecta in hoc auctore reviviſcit, & vix novitatis commodique granum orbi litterato huc advenit, hujus vero ſi germen hinc inde propullulare videtur, id ſtatim re intimè perſpectâ exareſcit.

Corpus humanum inſtar circuli fine & principio carere cum Hyppocrate de loc. in hom. pronuncians telam ſuam orditur, ſtatim tamen pag. 4. factâ fibrarum in membranaceas & carneas diviſione, *illas ortum habere à cerebro junctim cum piâ & durâ matre* audacter pronunciat harum primæ originis inſcius, *muſculos* tamen *eſſe productiones tendinum, tendines vero productiones oſſium* demonſtrandum ſuſcipit, in hac Anatomiæ parte deficiens, nam tendines nunquam oſſibus alligari demonſtrant accuratiores ſectiones.

Hinc, (licet lib. prax. cap. 8. efficiendorum ſyſtematum Cacoethen tanquam medicinæ impedimentum incuſet) tamen p. 6. *duo ſuperius enarrata fibrarum carnearum & Membranacearum genera, duo diverſa partium ſyſtemata effformare* conſtare vult, quæ ſententia cum Etmulleri, Williſii plurimorumque præprimis veterum Medicorum doctrinâ congruit, partes Machinæ noſtræ continentes ſpermaticas ſive nervaceas & ſanguineas eſſe ſtatuentium; at quum hanc diverſitatem per duplicem nutritionem à nerveo & ſanguineo ſucco medici nondum cum

Bagli-

Baglivio demonſtrarunt, neque hæc cap. 2. in quo inveſtigandi fibrarum brutorum plurimorum varios modos proponit & ab his poſtea ad humanas fibras argumentandum vult, neque ex omnibus argumentis huic rei probandæ allatis Cap. 3. & p. 158. neque ex examine fibrarum per microſcopia, patet. Nam fibrillæ maceratione expanſione ſuper vitrum acu &c. à naturali ordine recedunt, decurſus & collectio diverſa, quam notat p. 158. in carneâ & membranaceâ, diverſam originem non demonſtrat, quoniam hæc phœnomena in utrisque apparent, collectio enim diverſa fibrarum in oſſe duro ac duriſſimo varia ſit neceſſe eſt: Dubii igitur locus fuit & poſt noſtrum auctorem de hoc nutritionis pronunciato manet; nec non quod fibræ ſive carneæ ſive membranaceæ ſimpliciſſimæ nondum attinguntur, annotante & hoc J. F. Ordlob. diſſert. 2. nam ex minoribus fibrillis utramque conflari, microſcopii uſu auctor p. 159. & Lewenhoeckius obſervant, omnesque cum fibræ albedine, etiam ſecundum Baglivium p. 159. inſtruuntur, modo, per experimenta a Cl. Aquapendente primo, quod ſciam, tradita, & a noſtro aliisque recocta, a gelatinoſo vel ſanguineo, dicam tomento, vel grumo debitè purgatas; ſive animalium fame aut atrophiâ extinctorum fibras carneas ad examen revoces, & inprimis in embrionis ſtaminibus accuratè tracta-

tis alborem ſemper reperies, rubore poſt notabile tempus apparente, ut in brutorum catulis ad hoc experimentum deſtinandis & abortivis fœtibus experiri eſt: ex quibus concludere cogor, fibras muſculares & membranaceas reverâ ratione ſtructuræ minimæ non differre, ſed totam Machinam qua ſolidam ex fibrarum unius generis variâ coagmentatione conflatam eſſe ſtatuo cum Bonio Cir: Anat: prog: 7. cujus ortum & finem fateor me ignorare, quare etiam cum Williſio cap. 19. Anat. cereb. eam nervi (ut vulgo fertur) multo minus cum auctore noſtro cap. 3. duarum meningum productionem ſtatuere audeo, utut non ignorem ex Williſio nervos a piæ matris productione inveſtiri, eodem modo ac à maſsâ argenteâ inauratâ producta fila inaurata prodeunt.

Gratis, meo quidem judicio, admittit auctor p. 4. 12. &c. *tendines eſſe oſſium productiones*, quia tendines membranæ tunicæ, ſalvâ quodammodo œconomiâ in cartilagineam & lapideam duritiem converti poſſunt, uti in decrepitis & in cordis cervini oſſibus animadvertunt Anatomici: ſi vero oſſa tendinum ligamentorumve productiones dixiſſet, ad naturæ ordinem quodammodo loqui videretur, quoniam oſſa primo in embrione fibræ mollis dein durioris & cartilagineæ tandem lapideam duritiem per varios caſus præ ſe ferant, uti, ſi quis recte,

Cl:

Cl: Th: Kerckringius in ſuâ oſteogeniâ fœtuum demonſtravit delineavitque : hiſce tandem adde quod Medici nondum in plano deduxerunt partem unam in embrionis formatione, quam potius partium ejus expanſionem voco, alteram præcedere; adeoque illam hujus productionem dici non poſſe patet, & medici in hoc negotio principium circuli quæſivere.

Fibræ exiſtentiam igitur nemo negat, univerſam Machinæ ſtructuram ex fibris mirificè contextam eſſe *mente quodammodo* ut auctor noſter : p. 3. non tantum ſed re ipsâ & experimento aſſequimur, ejus motum forſan omnes admittunt Medici, niſi eſſent rigidiſſimi, hunc preſſioni fluidorum poſſe & debere inſervire liberrimè concedi poteſt, nihil enim fruſtra natura molitur, ſed quid opus eſt, nunc fluidorum vim & impetum rejicere, admittere de novo potentiam, tandem palinodiam expreſſis verbis canere.

De origine motus ſolidorum diſſerenti ſpeciatim cap. 4. incumbebat : hanc in ovo jamjam fœcundato ſcrutatam, movens puncti ſalientis ruſpatum fuiſſe, nec ſufficit propoſuiſſe *duos eſſe principes omnium partium motores, cerebrum nempe & cor* idque ad nauſeam repetere pag. 2. 11. 15. 16. 18. 34. 36. 46. &c. ſingulisque imperium ſuum ſuper ignobilioribus partibus tribuere, eodem modo ac Cl. Do-

leus ſuis regibus Microcoſmetori & Cardimelechi in cerebro & corde thronum erexit ad modum Helmontii archei, neque temere altero ſuper alterum dominium largiri, cum cordis & cerebri motus potius ſpirituum animalium adeo pacati & æquales peraguntur mutuoque egent auxilio & commercio, ut alter niſi cum alterius ruinâ aboleri nequeat, multo minus, *particularem ſuper partibus carnoſis & ſanguineis*, id eſt *muſculis* ut vult p. 16. *poteſtatem & a cerebro independentem cor habere*, *& cerebro* præcipuam *jure originis & jure motus* in ſpatiis forſan imaginariis quærendo *poteſtatem competere*, admitti poteſt; nam nunquam demonſtrabit motum viſcerum membranarum & tunicarum alio mechanismo quam muſculari perfici, omnis enim motus Machinæ ſolidæ eſt muſcularis, quod dogma deduxerunt celeberrimi Anatomici Williſius, Bonius, Ordlobet, præceptor noſter ſemper colendus G. Bidloo, quam diſtinctiſſimè, per hunc fluida conquaſſantur, propelluntur & momentum eorum augetur aliquando cum violentiâ, ita ut cor tremat, pulſitet & palpitet ex vehementi muſculorum motu, adeoque vehementiſſimè errat Cl. Vir pag. 15. dum concludit *quod eo tempore quo movetur muſculus nulla ſit in pulſu vel corde mutatio*, quod facillimè concedi poteſt, ſi Baglivius motum muſculorum auris ſuperiorum, ad aures, ad propria effata erigendos intelligat &c. Mem-

Membranarum tunicarum inteſtinorum veſicæ &c. motum, per muſculos fieri jam ante Williſium demonſtravit Cl: Fallopius, poſt illum plurimi inſignes viri, non enim carneo-fibroſa expanſio in omni muſculo cernitur ut in non formato anatomicis dicto palam eſt, licet easdem ſtrictè loquendo & communes cum formato partes habeat, ut probat Bonius C: A: prog: 29. quod ſi vero hunc cum J. F. Ordlob. diſſ. 24. §. 8. aliisque, motricem fibram vocare velis, per me licet, dummodo in re ipsâ conveniatur, muſculus tamen ex ſolidis eſt immediatum motus inſtrumentum ope portionis materiæ & ſanguinis; adeoque membranarum motum per oſcillationem duræ matris propagari, nec per falſam præſuppoſitam nerveo ſucco nutritionem, (quam merum commentum eſſe ſtatuit Bart. de Moor Path. Cer. cap. 1.) neque per diverſam membranaceorum morborum a carnoſis naturam probandum, ut vult Baglivius, concipere poſſimus.

Motum meningum & cerebri reciprocum, iisdem experimentis p. 20. 21. 22. enumeratis demonſtrarunt ante Baglivium plurimi Anatomici ſed præprimis Bartholinus Anat: Reform: lib: 3. c. 2. ſed hujus cauſam contra Baglivii opinionem explicarunt per arteriarum motum, cum hoc enim ſyſtole & diaſtole cerebri & meningum coincidit; immerito igitur *præcipua*

illarum texturæ adſcribitur pag. 20. 28. 29. motus hujus ſubſultorii cauſa, quæ maxime a cerebri hujus ab arteriarum dilatatione dependet: cerebri etenim motus cranii portione atque meningibus ipſis ablatis pergit pro tempore, quod in ove vivente etiam obſervavit Cl: Riolanus, præcipue circa ſinus duræ matris ob arteriarum ibidem copiam conſpicuus, hinc infero non ſolum *audax* ſed temerarium *problema* proponere virum antiquarium p. 27. *num ſc. ſyſtoles & diaſtoles motus quem habet cor a ſyſtole & diaſtole duræ matris dependeat.* Sed cor muſculus ſecundum Hyppocratem divum Baglivii eſt, qui ſecundum hujus hypoteſin jure originis & jure conſenſus &c. nullam cum oppoſito ipſi membranaceo ſyſtemate analogiam habet, adeoque oſcillationis propagatio meningum ad cor, locum habere non poteſt, quod etiam eodem Auctore *per transmiſſam a cerebro irradiationem movetur* p. 15. 25. Vix autem opus eſt hujus problematis demonſtrationem anxie inquirere, dum auctor circa hanc dubius, nunc diſtinctus, & iterum quaſi indifferens ſit, audiamus igitur ipſum dubitantem, pag: 37. quærit igitur *an cor magis indigeat dura matre vel contra, & uſtrum harum partium ſit alia alii magis ſubjecta, & an pendeat motus cordis a motu duræ matris an contra?* & pag. 18. *a duræ matris motu motum cordis pendere illique ſubordinatum omnino eſſe pene aſſe-*

asserere audet, sed ecce, omni dubii loco amoto pag: 27. planè *Majorem esse impetum, elaterem & vim duræ matris quam cordis* asserit, tandem pag: 36. §. 7. vim dicto huic addit dicens, *dura Meninx maximus humani corporis elater est suâ perpetuâ oscillatione secretiones fluidorum variè promovet, variè dirigit, solidis imperat & fluidis; singularum partium motus quia ab ipsâ impulsum accipiunt, ab ejus legibus quoque dependet* plurimisque in locis potestatem hanc meningum, planè ab eo fictam super corde, lectoribus obtrudere conatur, unicum instar omnium solummodo pag: 43. protrusum adferam, ubi, *certè cor resistentia debilius vehementioribus duræ matris ac pressionibus cedet sanguinisque in gyrum expressio meningum pressionibus magis quam oscillationi villorum cordis subordinata erit*, si modo dura mater forti texturâ sit prædita quæ necessario resistentiam librarum 135000. unicâ pulsatione superare debet, nam hæc, justo Borelli calculo, cordis pulsationis unicæ est, sed ingenti hac matris vi forsan stupefactus, pag: 41. equilibrium cor inter & cerebrum demonstrare intendit.

Si vero cuncta examinarem exactius, atque affirmationes negationesque super unâ eademque re in medium adferre animus esset, tædium mihi & aliis inferrem, cum plurima vacillanti & tremulo forsan calamo reposita sunt, de quibus

bus Vir Clariſſimus adhuc dubitare videtur nihil fere certi nihil ſolidi lectori tradens, illud autem laude dignum, quod in magnis voluerit verſari auſis, ut in orbe decantetur eruditus: rogare autem æquis rerum æſtimatoribus licet; an ulli ſua obtrudenti pro veris inventis ſufficiat mera conjectura? an inventa hæc tantam afferant lucem ſcientiæ aut arti medicæ, ut digna ſint honore cujusdam novæ inventionis? an denique ex hiſce nova oriatur praxis vel theoria demonſtrabilis per experimenta hucusque inaudita & fructifera?

Poſtquam igitur pag. 20. 28. 29. 35. &c. elateris, vis oſcillationis duræ matris in totâ ejus mole & propriâ ejus ſubſtantiâ cauſam non ab extra quærendam ſtatuerat, negatâ contra celeberrimorum Anatomicorum ſententiam & experientiam nervorum recurrentium exiſtentiâ, ſuis dictis ponderis aliquid accerſens, hanc ſtatim in ſpiritibus & ſanguine adventantibus ab extra ſcrutandam fatetur pag. 30. *multum quoque conferre ad inveſtigandam cauſam duræ matris fluidi nervei motum conſiderare* & pag. 28. *eundem a peculiari æquilibrio fluidorum per eam circulantium cum dictis ejus elaſticis fibris pendere* ait. Ex talibus muſculorum motus & momentum elateris automatum pendere demonſtrant Phyſici, & fluidorum motum in duriſſimis corporibus adeſſe plurima experimenta demonſtrant, adeo-

adeoque ex hiſce patet quanti ponderis ſit Baglivii analogia pro motu duræ matris explicando, quem abſolvi & perpetuari eâdem vult ratione, qua videmus *horologium ſine ullo liquidi* ſenſibilis nempe *inpulſu ſuos motus abſolvere*, ſi in hoc ſcrutinio ad ſolidam conformationem unice reſpiciendum ſit, motus deperditi & continuati cauſam rerum naturalium Ruſpatores indefeſſi, fruſtra in fluidis quærunt.

Tandem, ut in ſolidis hereat, medicorum ſententiam videtur fovere ſtatuentium motum & ſenſum per ſolam fibrarum nervacearum & membranacearum tenſionem fieri, pari ratione ac chordæ inſtrumenti muſici tenſæ & pulſæ in unâ extremitate ſubito ſui concuſſionem & tremorem usque ad extremitatem alteram diffundunt, (ut poſt Gallenum ſtrenue defendit C. Piſo) pag. 33. ubi *duos poſſe concedi motus in partibus nervaceis & membranaceis animadvertit alterum nempe a meningibus ad partes alterum vero ab hiſce ad meninges, illum ſyſtalticum ſeu ſucceſſivum hunc ſyſtalticum reflexivum vocat, per illum motus animales, per hunc ſenſus mediante tamen fluido aliquatenus nerveo explicat*, ſed cum illi motus a meningibus deriventur, & in iisdem terminentur ſenſus, ſecundum Romanum Doctorem, confuſionis vitandæ gratiâ motum alteri, ſenſum alteri meningi affricat, quod an verum ſit auctor ipſe determinatè aſſerere non audet;

audet; ſed ſicuti medici ſuperiores ſuam nervorum & membranarum tenſionem & rigiditatem nondum probarunt, nervi enim actu & motu molles & flaccidi reperiuntur conteſtante hoc & Cl: Bonio C. A. prog. 19. Eodem modo Auctor undulationem, vel propagationem oſcillationis meningum per membranas ad motum partium ſat validis nondum adſtruxit argumentis dubitationis minimæ aleam auferentibus, ut ex ſuperioribus patet, multo minus theorema de ſenſu, demonſtratione ditavit, quæ quidem examen longius expetere videbuntur plurimis, ſed inſtituti noſtri ratio non patitur, tacere tamen nequeo quod Baglivius tertiæ & intermediæ meningis ne quidem meminerit, cujus inventor & delineator merito celebratur Clariſſimus G. Bidloo.

Ea porro quæ a vario cerebri & meningum ſtatu deducit pag. 36. *quoad digeſtiones mutationes ſeparationes etiam, progreſſionesque fluidorum* ſi per vivificum ſpirituum influxum facultates has viſcerum explicaſſet, vigente ſtructurâ eorum & motu, ſententiam Romani Profeſſoris ambabus ulnis amplecteremur ſpirituum horum actionem admodum declinantis, utpote qui ſecundum clariſſimum Virum parum ad ſenſus & *in motu muſculorum nihil aliud quam determinationem ad motum præſtent.* Hoc uti probare conatur p. 162. exemplo cordis per aliquot minuta palpitantis è

ranâ

ranâ avulsi: sed hanc experientiam ab aliis ce-
eberrimis viris etiam prolatam leviter attinge-
re necessum est, ut de illius relatione, non autem
de fide, aliquid pronunciemus.

Id primo pro certo statuimus materiem quan-
dam fluidiorem, visum nostrum subterfugientem,
inesse etiam solidissimis corporibus, ut abunde
demonstrat Chemia, imo ab omni externo hu-
mido prohibitorum corporum corruptela & ef-
fluvia solidorum atmosphæram constituentia e-
vincunt: de qua videatur Boyle, & Bonius.

Certum & hoc est, fluidum dictum moram
majorem minoremve posse trahere in diversis
consistentibus corporibus pro statu tenacioris
vel laxioris cohæsionis partium solidarum; imo
omni dubio vacat, motum ab hisce subtiliori-
bus portionibus materiæ augeri in ipsa læsione
partium solidarum & contractione convulsiva
earundem læsarum vel abscissarum. Tandem ne-
cessum est ut partes illæ fluidæ velocius ipso actu
motæ, ipsum illum motum inpressum eo diutius
continuent, quo partes illæ solidæ firmiori gau-
dere solent nexu suarum fibrarum, ob resisten-
tiam & impedimentum fugæ, prout hoc patet in
omni motu intestino & propulsivo, ubi conti-
nuatio illa, sui momenti extensionem præbet, pro
quantitate & qualitate materiæ portionibus spiri-
tualibus impregnatæ.

Ex hisce igitur facilis apparet ratio, cur mo-
veantur

veantur partes abſciſſæ etiam diutius poſt mortem vel avulſionem, atque is motus etiam diuturnior exiſtat, poſtquam aquæ calenti aut tepenti immerſæ fuerint hac incitatæ illæ partes, quoniam & fluiditas & flexilitas ab aquæ calentis acceſſu promoventur.

Facilis etiam inde acquiritur reſponſio ad objectionem quam movent plurimi hodierni, quod nempe ex hac experientiâ pateat nullum eſſe influxum neceſſarium ad motum alicujus liquidi vel ſpirituum animalium dictorum; ſed non opus eſt novo ſpiritu in moriente vel langueſcente motu, quam eo tantum, qui naturaliter & forſan ex læſione præternaturaliter ipſi adeſt, prout infinita demoſtrant exempla, nunquam enim tam vividus ille motus quam in ipſo læſionis principio eſt, exinde nihil ad rhombum illa experientia facit, quam ut demonſtretur illas partes liquidas firmius habere domicilium, quod non tam facile partium liquidiſſimarum exiſtentiam & motum dimittit. Hoc ut unico firmemus exemplo, adeamus corpora omnia, illorum vitam mortemque conſideremus, fugam ſpirituum eſſe hujus principium, retentionem vero eorum ſpirituum eſſe illius conſtantiam obſervamus, annotante hoc doctiſſimè Verulamio in hiſt. vit. & mort., ſic enim in vegetabilibus, ſic in mineralibus, ſic in animalibus unusquisque obſervare poterit, ea nempe corpora eſſe robuſtiſſima & viva-

vivaciſſima, quæ cæteris paribus denſiſſimis gaudent texturis ſpiritu velociſſimo nobilitatis.

Mitto reliquorum argumentorum, quæ contra exiſtentiam ſpirituum animalium hodie a quibusdam protruduntur, examen, cujus examinandi & extendendi occaſionem poſthac arripiemus.

Proportionem liquidorum ad ſolidorum cavitates, canales, tubulos & poros, nobiliores Phyſiologi in ſuâ doctrinâ ad naturæ leges dirigendâ propoſuerunt, hanc tamen in quantitate ſola conſiſtere pronunciare minimè auſi, eorum debitam configurationem, motum & molem, tanquam neceſſaria ad vitam ſanam media, jure merito advocant. Quantitas enim fluidorum, a naturali figurâ recedentium, ad cor, vaſa omnia & glandularum ſinus proportionata leges œconomiæ ſubvertit, uti plurimi obſervant Practici, exceptis iis, qui omnem morbum ferme a plethorâ deducere conantur: ingenuè tamen fatetur Clariſſimus Baglivius pag. 39. *in hac materiâ æquilibrium juxta ejus ſtrictiores leges, utque a Mechanicis atque Hydraulicis ſumuntur, non accipi*: fieri enim non poteſt, ut ad has doctrinæ talis leges contorqueantur naturæ more, adeoque non percipio, quid quoſdam hodie eousque adduxit, ut Dominicum Gulielminum Bononienſem in

prælect: pro Theoriâ medicâ, aliosque, palam affirmantes, vitalium actiones humorum scire posse neminem, qui aquilegum regulas ignorat, omnemque medicinam ex severis Mechanicis & Geometricis præceptis docendam, colendam & perficiendam esse clamantes, imo hac normâ ubi proceditur, æternam immutabilem scientiam medicam auditoribus promittunt. Sed quid valeant Viri tanto hiatu sua oracula declamantes, demonstrarunt plurimi naturæ curiosi, ægrorum lectuli & exitus funesti. Ecce autem quid sentiat Baglivius, de certitudine Geometriæ in explicandis functionibus Machinæ nostræ hydraulico-pneumaticæ, differens pag: 59. aliisque in locis de vi & potestate solidorum super fluidis, argumento nempe motricis fibræ generali & ubique obvio, *quod nempe per strictissimas Geometriæ leges, neque hæ neque aliæ corporis functiones a nobis percipiantur*, rationesque subnectit, datorum requisitorum invaliditatem demonstrantes *siquidem ignota nobis omnino est natura flammæ, quæ ardet in sanguine, vasorum omnium ignoti diametri & productiones, ignoti demum, ut alia multa taceam, differentes liquidorum per singulas partes motus* &c. quibus plurima addi possent ex fluidis ac solidis desumta, Theoreticum Mechanico-Geometricum suis privatum numeris ac notionibus sistentia.

Sed

Sed redeamus ad Baglivium ; multa de æquilibriis ſolidorum cum ſolidis, ſolidorum cum liquidis, & liquidorum inter ſe, deducentem & ſtatuentem, quæ vel vulgariſſima, vel admodum dubia, vel denique ad ejus fibræ motricis ſyſtema contorta ſunt. Tam accuratus autem cum haberi velit & circumſpectus obſervator, non ſolum de æquilibriis, quæ in ipsâ machinâ aliquatenus conceduntur, agendum ipſi erat, verum etiam de æquilibrio fluidorum extra illam, ea enim hiſce ab omni latere & perpetuo premitur afficiturque. Fluidum enim externum animalia attingens & ambiens, determinatâ ad intrinſecum gaudere debet habitudine & relatione, ut vitam degant ſanam, ſublatâ enim hac aurâ æthereâ familiari ſtatim œconomia eorum ſignis manifeſtis ſubvertitur, uti alta montium cacumina tranſcendentes, ſuo proprio incommodo, & poſt Clariſſimum Boyleum Anglicum illud ſidus, plurimi Medici probarunt; per animalia diverſa machinæ pneumaticæ incluſa aëris abſtractione vario modo contorquenda, afficienda, necanda: quod æquilibrium non ſolum relationem habet ad fluida per pulmones circulantia, verum etiam ad cavitates majores, interſtitia & poros minimos. Hoc ephemerides ægrorum, morbique concentrici Helmontianorum probant, variis ex tempeſtatibus excitati, quibus ſublevandis

mutatio cœli ſeu aëris & ſolis perſæpe neceſſaria eſt.

Æquilibrii & proportionis debitæ fluidorum cum ſolidis neceſſitatem agnoſcunt Theoretici, verum omnem œconomiam temperamentorum, diverſitatem, indolem, ingenia, mores virorum & fœminarum, morborum originem, cauſam & effecta hinc unice, cum noſtro Baglivio, deducere vetant naturæ leges, quas interpretari quidem non fingere licet ejus miniſtris. Contentorum enim ſpirituum & impetum facientium particularum conformatio & motus advocanda ſunt, ut rationem ſanitatis & morborum ejusque ætiologiam rite inveſtigemus. Similia enim convenientem ſolidi ac fluidi figuram involvunt, ac non raro ſunt meræ cauſæ læſionis ejusdem, quoniam fluida alterationi maximæ ſubjecta, per frictionem, attritionem, comminutionem & miſcelam primum in machinâ noſtrâ locum habere ſolent, etiam Baglivio nobiliſſimo teſte, eorum namque impetus in ſolida notiſſimus eſt, & quantum momentum præſtent circa hæc alteranda latere neminem poteſt, continentia enim vaſa nullo ſunt vel pauciori ſaltem motu prædita per ſe, ut ipſe fatetur Baglivius p. 70. *& vita humana coaleſcit ſpirituali aurâ* animadv. in pract. nov. §. 4. *quæ & conflata eſt, ex aſſiduo regulari & æquilibrato ſolidorum & fluidorum*

motu

motu pag. 2. *& cor in tantum movetur in quantum a cerebro transmiſſum influxum excipit* pag. 27. fluidorum motus in *nervis ſit velociſſimus*, & *in morborum curationibus fluidi æque ac ſolidi ratio habenda ſit* pag. 58. denique nunquam *ipſi in mentem venit ſuam fluidis vim denegare, vel nimium extenuare* pag. 34. quam tamen ubique impugnare videtur, ut fibræ ſuæ motricis ſolidæ novum ſyſtema (ſi Diis placet) perfectius & eminentius tradat. Nemo homo medicus, fibrarum & partium ſolidarum neceſſitatem negaverit in œconomiæ legibus ſervandis & retinendis; ſolidi etiam momentum inquirere, relationem habentis ad fluida, abſolutæ eſt neceſſitatis in medicina, nam ex conformatione leviter etiam immutatâ ſolidæ partis, ſequi innumera vacillantis valetudinis effecta, evidentiſſimè liquet non ſolum in noſtrâ machinâ, ſed etiam in omnibus aliis.

Si autem liquidum, in hac inveſtigatione, conſideretur tanquam ſolidum, exiliſſimis independentibus moleculis & fibrillis conſtans, tunc vera alterationis cauſa ſtatim patebit: liquidiſſimæ enim partes abſtractè & in mente conſideratæ alterationes nullas admittere vel pati poſſunt, non magis quam lucidi radii a mundanis ſublunaribus corporibus, & ſi comparationi locus ſit, non magis mutatur liquidum exacte ſpirituale quam noſtra mens in quovis delirio.

Mutatio igitur hæc reſpicit ipſam texturam ſolidam partium materiæ gravioris, ſuam figuram & formam priſtinam leviter vel graviter derelinquentis, ex quodam acceſſu aut receſſu particularum, ad diverſum ſitum & ordinem vergentium.

Latera vaſorum contractione ſua ipſas partes ſolidas fluido innatantes compingunt, ad colliſionem ſuperficierum cogunt, attritione frixioneque majori materiam comminuunt ac neceſſario mutationes illi materiæ inducunt qua ſolidæ. Hæ vero ſolidæ particulæ fluidum conſtituentes, ab omni parte ubi cinguntur fluidiori quadam portione, ipſa partium illarum velocitas non retardatur, ſed promovetur in ipſa contractione vaſorum ſolidorum, ita ut ſibi viam ex ſua portione, veloci materiâ antehac immerſa per expreſſionem violentam parent, quod liquidiſſime conſtat in diaphoreſi, in halitibus, in effluviis, in calore aucto, ſenſum motumve vividiorem pariente, in hoc etenim effectu, ipſa ſolida fluidiſſimam portionem revera afficiunt, quatenus nempe hæc, in fluidis anguſtata, motus celeritate anguſtiam viarum conpenſare ſolent.

Hiſce accedit & altera mutatio ipſius liquidi, defæcatio nempe vel purificatio à parte craſſiori, nam non ſolum limpidiſſima portio ſecedere ſolet, ſed juncta leviori parti materiæ

avul-

avulſæ, motum illius liquidi ſequentis, quod fundamentum eſt lymphæ variæ & ſpirituum animalium dictorum, ut ſat manifeſte ex præmiſſis & ſequentibus poſtea patebit.

Glandulas cerebri corticales deſtinatas eſſe fluido ſeparando nerveo a ſanguine, nervos eſſe hujus fluidi filtrati canales pronunciat quam politiſſime Baglivius pag. 31. *duram matrem fluidum hoc continuo ex glandulis hiſce, per fiſtulas cerebri exprimere*, ſaltem hunc motum facilitare, adſtruit pag. 26. 32. *hoc ſive ſpiritus animales ſubtiles adinſtar radiorum lucis eſſe, ac tenues per actionem ſenſus & motus in incredibili & promtiſſimâ celeritate conſtantem*, probat ibidem, *dicti fluidi in nervis & partibus motum velociſſimum* cum plurimis Medicis admittit pag. 31. plurimisque in locis ſpirituum horum uſum & vim demonſtrare annititur, vult tamen pag: 54. ut *prudentius ſeſe gerant in poſterum Medici, qui ad nauſeam usque ingentem vim, activitatem & poteſtatem ſpiritibus & fluido nerveo adſcribunt*, ut ſuas autem contradictiones eo lucu-lentiores foveret, imo a communi Medicorum ſententiâ, quam mox amplexus erat, diſcedere videretur pag: 65. *ſummam activitatem ſpiritibus animalibus gratis & ſine ulla experientia tribui ab Medicis* & ab ipſo pag: 32. profitetur: quæ quidem contraria admodum hic & ubique plane ſibimet oppoſita in hoc ſcriptore elu-

ceſcunt. Videntur hæc non obſcure ſuppone-re viri clariſſimi mentem in affirmatione & admiſſione ſpirituum animalium vel ſucci nervei verſari, hac equidem non obſtante re problema inde dubium ſtatuit in poſtulatis pag. 37. corrol: 11. *ſi quis diceret nullos dari ſpiritus animales nec fluidum nerveum verum ne diceret?* ad interrogatum reſpondeant exteri Romanis inferiores Medici; pergit ulterius pag: 54. immemor propriorum dictorum, *ſed aliquis objiciet, certum eſt cor moveri à fluido nerveo in illud perpetuo per nervos inſtillato, ac proinde fluidi ſupra ſolidum poteſtatem majorem eſſe, contra* quam objectionem ante non dignatur reſpondere Baglivius, niſi ubi *tale fluidum nerveum primo oſtenditur ipſi ab adverſario*: cur vero illi magis quam huic noſtro auctori hoc negotium incumbit?

Hæc igitur manifeſte contradictiones viri clariſſimi patefaciunt, quas placidè & amicè detegere animus mihi eſt poſſemque ipſum inconſtantiæ ſummæ accuſare, niſi pag. 25. ſequens dogma ex improviſo veluti animadvertiſſem, quæ liquidè deſignant auctorem eſſe planè indifferentem ad ſpirituum animalium exiſtentiam, ipſumque explicare motum cordis poſſe conceſſo vel negato horum influxu. Ejus en verba: *cum igitur moveatur cor per irradiationem & influxum à capite in illud per nervos mediante*

iante fluido nerveo, vel ſolidi meningei oſcilla-
one, nullo vel ſi mavis pauco interveniente flui-
o transmiſſum. Natura non ita ad voluntatem
ioſtram operatur, ſed ſimpliciſſimâ pergit viâ
d fines propoſitos, quos variâ ratiocinatione
nterpretari conceditur naturæ Curioſis, non
d ſuum ſyſtema contorquere Medici eſt, ut
quam optimè ipſe Baglivius lib. prax. 1. cap. 8.
nculcat, naturæ miniſter & interpres ei ob-
emperare eamque ducem ſequi cogitur, non
ut ei imperet, prout idem ſerio dicit lib. ci-
tat. ſed ut leges ejus tueatur & obſervet.

Ut diſtincte & breviter res diſcutiatur, cir-
ca ſpirituum animalium negationem vel affir-
mationem, tria hæc ſequentia perſtringenda eſſe
mecum putavi.

Primo, quid proprie ſub nomine ſpirituum
intelligant Medici?

Secundo, qua ratione materia fiat ſpiritus?

Tertio, quænam ſit poteſtas & vis ſpiri-
tuum reſpectu materiæ?

Ad primum reſpondeo, illud omne vocatur
ſpiritus, quod proximè accedit ad ventifor-
mem velocitatem & figuram, unde ſpiritus a
ſpirando dictus eſt: hic in quantum levitate
ſummâ gaudet, facile ab impetu aëris & im-
pulſu ætheris agitatur, abripitur & tenuitate
ſuâ viſum noſtrum ſubterfugit, quam primum

mobiliſſimæ hæ partes commercio majori fruuntur æthereæ & aëreæ materiæ.

Hinc ſpiritus propriè dictus eſt corpus exiliſſimum, ſubtiliſſimum & mobiliſſimum, unde ſæpius illius exiſtentia in dubium vocatur ab iis, qui nihil admittunt, niſi quæ ſenſibus tantum eorum ſubjiciuntur craſſo modo, quemadmodum eſt materia in mundo, mole majori & viſibili gaudens.

Si ad ſecundum advertiſſent Phyſici ac Medici, non tantis inter ſe invicem diſſidia litibus foviſſent; nam præparatio ſpiritus duplici modo intelligi debet, primo ut portio immerſa materiæ vinculis quibusdam ibidem detenta liberetur per illius materiæ diſcontinuationem, quæ minus dein reſiſtit, vel per ipſam aëream materiam, quæ portionem illam volatiliſat & ab materiâ craſsâ ſecernit.

In hac occaſione nil aliud fit, quam quædam actio ſublimationis aut exaltationis, prout loqui ſolent Chemici, ex acceſſu cœleſtis aut terreſtris ignis, vel fit mera partium materiæ craſſioris comminutio per attritionem & detritionem partium, unde ſpontaneæ fugæ patet via illis portionibus, quæ tantum pro tempore ibidem per materiæ reſiſtentiam retardantur.

Altera præparandi acquirendique ſpiritum methodus, motus inteſtinus eſt, quo mediante ſubtiliantur attritæ materiæ ope portionum

velo-

elociſſimarum, illam attritionem admodum romoventium, unde ex ipsâ illâ materiâ proiliunt auxiliante aëre circumfluo, hinc ipſa illa nateria partim ſecedit ab portione ipſa ſubtili, partim in leviſſimas quasdam particulas immiiuta ſpirituali ſed naturali materiæ portioni jungitur tamdiu, quamdiu eſt proportio adjuvantis ætheris & ſpiritualis illius portionis ad ipſam materiam avulſam, hæc ſi deſit, fatiſcunt denuo partes illius materiæ avulſæ, & ab ipſo motu cecedunt iisdem portionibus ſpiritualibus orbatæ, quod innumeris experimentis confirmari poteſt.

Si clarè & diſtinctè proponendum explicandumque tertium requiſitum eſſet, plurimum temporis requireret, ſed illud in fermenti inquiſitione magis elucidatum proponetur, quodnam nempe corpus ſub nomine ſpiritus obveniat, & quod ſit aptiſſimum ad ſpiritualem fluorem. Ibidem demonſtrabimus nullum dari corpus æque aptum, quam quod proſtat ſub nomine ſalis aut ſulphuris, quoniam ſpiritus omnes dicti & noti, ex illa ſcaturigine proſiliunt, ac in illam convertibiles ſunt ſubſtantiam, unde potentia ſpiritus in materiem eſt ut ſalis in terram & aquam, nempe dividere ſuperficies, eas comminuere, operaque communia agere cum aëre & æthere, quorum ope ſola fit & ſubſiſtit ſpiritualitas ejusque vigor & potentia.

Tales

Tales dari ſpiritus ſi quis neget, eadem fronte pernegabit lucem, irradiationem ſolis, aërem, ventos, non ſub ſenſus ita cadentes, ut deſcriptionem exactam figuræ & molis limitatam admittant, ſimulque neget omnes functiones, quæ ex calore & motu procedunt.

Si quis autem roget, ubinam ſit hoſpitium proprie ita dictum ſpirituum in Machinâ noſtra, & quare hi dicantur animales, ille ſibi ſatisfacere poterit, ſi conſideret, vitra uſtoria, quæ ex mera collectione & refractione radiorum in ſuis focis lucidiſſimis apparent, absque ulla vitri affectione ſuas peragere operas, nam ibidem apparebit non opus eſſe ad ſpirituales actiones illas promovendas magnâ quantitate illius liquidi, ſed lucidiſſimâ qualitate, vix comprehenſibilis quantitatis corporum, quarum particularum congeries non quæret in ſucco quodam viſibili & craſſo, ſed in ejus ſucci portione in anguſtiſſimis poris illius materiæ latitantis. Quæ inſervit plerisque principibus actionibus ſenſui nempe & motui noſtræ machinæ, quæ propriè nervis competit, tanquam maximè accedentibus ad materiam fibroſam pellucidam, iis ſpiritualioribus portionibus admittendis aptiſſimam, quorum uſus tantus eſt in noſtrâ Machinâ, ut absque iis nihil peragatur, ſed ex illorum defectu vel extirpatione, facultatis & functionis privatio ſimul ſuccedat

imme-

mmediata : ſcio equidem multa contra hanc ſententiam moveri argumenta, ſed quorum hic mentionem non faciam, ne tædium Lectori fiam, ſufficit me paratiſſimum ſemper fore, ad illa diluenda & enervanda, non pruritu diſputandi ſed ſtudio diſcendi & docendi.

Forſan tamen quis dicet hæc tantum gratis ſupponi, & ſpiritus hos veluti igneos atque æthereos à Chemicis quibusdam conſideratos, ac plurimis Medicis ita audacter ſtatutos, quos dilepaſcentes & ſtygios exiſtere debere alii pronunciant, prout Bartholomeus de Moor patthol. cereb. cap. 6. Williſii ſententiam, de maniæ causâ examinans ſubinnuit, ſed ſi omnes igneæ naturæ ſpiritus, quales conſiderantur in maniacis a Williſio, vel effluvia ſint conſumentia, neceſſario radii ſolares omniaque alia ignis terreſtris & cœleſtis erunt conſumentia, quod ab omni veritate & experientia alienum eſt, ſunt enim refocillantia tamdiu, quamdiu placidè & liberè ad ſuos actus procedunt, motum nempe materiæ ſufficientem, & vitalem inducentes, ſic enim Zona torrida in habitabilis antiquis, ob ignorantiam operum naturæ, dicta fuit; quamvis ibidem vegetationes ſint frequentiores maximaque vivacitas illic loci in omnibus animalibus exiſtat, niſi intercedat materies quædam maximè maligna & peregrina, machinæ humanæ ad ſpiritualem & vitalem

lem fluorem adverſa, quæ poſtmodum in aëre illo maligno reddito ſuſpenſa, non ratione caloris, ſed ratione illarum molecularum & miasmatum, vim malignam ſuo ad machinam humanam acceſſu & penetratione exercet, quod plurimis experimentis demonſtrari poteſt, hic tamen non inſerendis &c.

Si ſpiritus animales inſtar aquarum ſtygiarum ſeſe ſiſtant, cum ex nimia commotione ad colliſionem & opus majus pergunt, non tamen ſtatim eſſent lædentes & diſcontinuantes effectus, quemadmodum vult B. de Moor Cap. cit. nam ipſa aqua ſtygia intactum argentum relinquit, intactum etiam ſulphur & oleum illi admixtum permanet, imo hoc vel cera obducta metalla inpunè aquæ ſtygiæ immerguntur.

Hæc autem & ſimilia a Medicis vel Chemicis prolata, conſideranda veniunt tanquam exempla illuſtrantia per figuram & actionem aliorum corporum, quæ quandam relationem habent ad alia corpora & eorundem opera, nec ſufficit reſponſio illa viri clariſſimi *quod cerebrum ſit molle & humidum, ſpirituum ergo naturam repugnare igni & lumini depaſcenti*, nam unde ſpirituum & ſanguinis commotio? an illa per ſe tantum fit, an vero ab alio dependet accedente motu? an illa commotio frigida eſt an vero calida? absque dubio aliquis calor adeſt. An extraordinarius per attritio-

nem

em & comminutionem partium accedens ca-
r, non poteſt dici fervor? præſertim ubi ex-
erientia docet maniacos phræniticosque frigo-
s iniquiſſimi eſſe patientiſſimos, inſtar om-
ium ſpirituum per excellentiam paratorum, qui
unquam congelantur. Unde non tam male,
ec tam inſulsè pronunciare mihi viſus fuit
Williſius, qui per illa verba practicum nego-
um, & finem exprimit, æque ac ille per
nguinem ejusque plethoram & ſpirituum ani-
nalium commotiones.

Limitatio tandem illorum ſpirituum, ut
empe animales dici poſſint, nulla eſt niſi ea,
uæ reſpicit materiam ex qua portiones illæ
rodeunt tenues, ſic enim ſpiritus mineralis di-
itur, cum ex mineralium materiâ, vegetabi-
s cum è vegetabilium familiâ prodit ſpiritus,
uamvis forſan abſtracte conſideratus, unus
ſſe poſſit, ut materiæ æthereæ actus ad efflu-
ia varia.

Concludimus igitur aut concedi poſſe nul-
um eſſe ſpiritum proprie & ſtrictè ita nomi-
atum, aut eundem in portionibus minimis
nateriæ eſſe quærendum, ejusdemque propriam
riginem, ſubſtantiam & promotionem in ſo-
e & ſale eſſe ruſpandam, quæ ubi junctim res
gunt, evaneſcunt, id eſt, ſenſus noſtros delu-
lunt & ſubterfugiunt.

Homo naturæ interpretationem moliens,
pru-

prudentia indiget magna, ut ſe & mentem ſuam regat & dirigat, ne in errores incidat ficulneo cuidam Divo innitens, conjecturis ſuis faventi & patrocinanti. Ingentis enim ignaviæ eſt ſignum, ſemper alios velle ſequi, ſemper Ducem hominem quærere. His umbris ſtipata veritas non viſitur; odia & amores ubi certatim animos reddunt fluctuantes veridicum vatem nullum eſſe ſinunt. Simpliciſſima enim naturæ opera ex fonte divexatæ naturæ ſunt lucifera, prout doctiſſimus Baglivius poſt experientias traditas ingenuè confitetur pag. 225. *Sed hic audio obmurmurantem Medicum, quid hæ bilis, ſteriles & nudæ obſervationes ad rectè medendum, quid hæc liquidorum anatome, languenti homini utilitatis adferet?* Tanto ibidem cum fervore, humorum inveſtigationem per variorum ſolidorum liquorum miſcelam inculcat, tanquam unicam fere medica ſtudia promovendi viam, rationem ulteriorem reddens, ſtatuit *quod magna morborum pars in fluidis ſedem habet*: quantum mutatus ab illo ſolidorum Hectore, qualis fuit in præcedentibus, *majorem enim eſſe ſolidorum quam fluidorum in procreandis morbis poteſtatem; fruſtra laborari in fluidis, niſi mens ſit ad ſolidum, in quo morbi vim & poteſtatem reſidere, hosque a vitio ſolidorum immediate pendere, quidquid aliter ſentiant Medici fluidæ ſemper incuſantes*, ut ubique ad nauſeam usque

detonat.

detonat. Sed a paucis hæc animadverſa, ſecundum auctoris ſententiam ſunt argumenta & experimenta circa ſolida & fluida; quid igitur Boyleus, Willis, Sylvius noſter, Bonius, aliique inſigniores Viri Medici, Anatomici & Chemici ſuis ſcriptis prodiderunt, inculcarunt? Profecto nil niſi fluidorum per Chemiam, & ſolidorum per Anatomiam examen (cujus neceſſitatem in Medicinâ Prof. Clariſſ. Lucas Schacht, in obitum Cl. &c. Sylvii oratione demonſtravit:) meraque propoſuerunt naturæ opera; an non ſunt mere naturalia, quæ toties de fibrâ motrice in ſuo tractatu traduntur? Hæc ventilata ſi recedant à naturæ ordine, nonne talis cum ſuis ſcriptis nugacibus auctor rejiciendus eſt? hæc ex naturæ cognitione hauſta liberum unicuique eſt examinare, per eadem naturalia adminicula, quibus ipſe uſus fuit, niſi iniquus aliorum æſtimator omnes præ ſe infelici ſydere natos credat & contemnat. Ipſa enim decantatiſſima ab auctore, alias in Chemiam iniquiori tradita experimenta, mere ſunt Chemica, prout cuivis hæc perlegenti obſervare licet a pag. 219. ad 225. utinam ipſius Chemiæ nobilioris fundamenta ipſi notiora fuiſſent, ad altiora patuiſſet ei omnibusque Medicæ artis cultoribus iter: ſed inconſtantia, vel puſillanimi & in errores proni hominis ſignum præbet manifeſtiſſimum, ex ta-

libus enim ſcriptoribus, ſe & alios per contradictiones confundentibus, vix ad lectorem lumen aut lucrum redundat.

Demiror tantos hujus viri conatus, in obtrudendâ tali hypotheſi, quæ nil novi ſive theoriæ ſive praxi attulit: nam quanti momenti ſint partium ſolidarum perverſæ conformationes, ubique obvium eſt, in cancro, ſcrophulis, ſcirrho, varicibus, aneuriſmate, hydatide, tumoribus, gibboſitate, nodis, polypo, aſthmate, aliisque plurimis morbis inde oriundis; hæc & ſimilia denotant paſſim Medici, actionumque ſublationem demonſtrant Chyrurgi, mediante extirpatione talium partium male figuratarum, caſtratio idem offert experimentum, in ſemine prolifero negato aliisque effectis abolitis; quæ cum manifeſtiſſima ſunt, à Medicis non obſervata fuiſſe vix ab ullo homine credi poteſt, imo fieri non potuit, neque unquam poterit, dum vigebit ſcientia & ars Medica: Humanam enim Machinam ſolidam primo aſpicit in Anatomicis ſectionibus tyro, magnitudinem, molem, figuram, & ſoliditatem partium obſervans, quæ pertinacius ab eo reſervantur, quo curioſior fuerit in hac inveſtigatione, dein in hanc ſententiam neceſſario ire cogitur, miras illas ſtructuras ſolidorum plurimum conferre debere ad elaborationem conſervationemque fluidorum, quæ illuc appellunt,

lunt, degunt & præterlabuntur, ut poſtmodum in glandulæ deſcriptione patebit. Non igitur opus eſt Hippocrate ad ſolida reſpiciente, parum tamen de iis pronunciante (ut Baglivius ſtatuit animadv: in theoret: vet: *Arcanam ſuam de ſolidis ſpeculationem poſteris aperire abſtinuit*) teſte uti; nam Hippocratis ævo & priſcis temporibus Chyrurgia & mere Pharmaceutica prævaluit praxis, ex meris obſervationibus & experimentis, propter neceſſitatem generata, & propagata. Chyrurgia autem, operatione manuali ſuâ artificia exercens, ſpecialem habet relationem ad ſolida, & exinde Hippocrates debuit ſuas proponere inciſiones, uſtiones partium ad oſſa usque &c. quæ huc uſque conſuetæ & familiares ſunt operationes Chyrurgicæ, nunquam in occaſionibus datis prætermittendæ, quas diſtinctiſſime tractatu perquam eleganti & utili Mar: Aurel: Severinus de efficaci Medicinâ tradidit.

Fruſtra igitur culpantur Medici paſſim, in præfationibus ſcriptisque Baglivii, tanquam fluida ſola in morborum curatione reſpicientes, omnes enim ſolidorum agnoſcunt potentiam in morbis æque ac ſanitate, hinc equidem ſtupendam maniacorum vim, bajuli vel ruſtici robur, à ſolo fibrarum duriorum ſtatu tenſo deducere haud timent, fluida etiam in auxilium vocantes; obſervant enim hæc primas eſſe

motus cauſas, & in iisdem continuati rationem animadvertunt naturalium rerum ruspatores.

Si bajuli vis a tenſione vel criſpaturâ, ut vocat Baglivius, tantum pendeat, rationem ex ejus ſyſtemate non video, quare morbo acuto maligno correptus tam vehementer & ſubito debilitetur, quoniam *fibrarum tenſio plerumque obſervatur in acutis morbis*, ut aſſerit in animadv: in pract: vet: niſi contradictio ipſi pro ratione ſtet, nam fibrarum tam ſubitanea alteratio non obvenit, quoniam ſolida illi motui non ita ſunt obnoxia, ob magis quietum particularum conſtituentium ſtatum, magis inquam, quia abſoluta in ſolidis forſan quies non conceditur, ut optime tradidit Boyleus in tract: de atmos phæris corporum & de abſolutâ quiete in corporibus.

Ingens ruſtici robur conſtat, cujus duriorum fibrarum ſtatum agnoſcimus, ſed en correptus bylimo proſternitur, cum virium omnium dejectione, cruſta viliſſimi panis redintegrandarum; an parva illa panis quantitas tonum fibrarum flacceſcentium, ſecundum auctoris ſententiam iterum ad priſtinam tenſionem reducit? ut ſtatim in integrum reſtituatur; an potius pabulum ſpiritibus languentibus præbet? Temperando ſucci gaſtrici aciditatem extricatam; qua actione effluvia fabricantur tenuiſſima

nuiſſima fluida æque ac ſolidorum tonum corroborantia.

Sed hæc nimis Chemicorum methodum ſapiunt, quam horrent Mechanici, illi enim ad vim velocitatis & actionum corporearum gravitatis demonſtrandam, ac variationes elaſticitatis deducendas, ſpiritum & ſalem advocant. Vident enim liquidorum gravem activitatem in corporibus ſpiritu & ſale oleoſo alcalino tenui inſtructis, quam per acceſſum leviorum ſpirituum acidorum materia volatili ſulphurea turgidorum duplo majorem exiſtere obſervant, quam in corporibus eo privatis, quod plurimis etiam experimentis probant. Hinc non absque ratione, ad vim roburque bajuli & ruſtici explicandum, ſpirituum actionem neceſſariam exiſtimant, quo tales, viliori ut videtur nutrimento veſcentes homines minimè carent. Argumenta, quæ Baglivius ab alimentis eorum per Chemiam examinandis pag: 55. deſumit, nullius demonſtrationis vel momenti eſſe ex ipſa Chemia ampliſſimè liquet, adeoque condonanda hæc & ſimilia Chemiæ nobilioris ignaris, forſan ex odio vel ignorantiâ, ut dixi, illorum & philautiâ nimiâ, ſua effata pronunciantibus. Alimenta, enim quibus veſcuntur omnes vilioris conditionis homines, ſpiritu gaudere efficaciſſimo, analyſis Chemica demonſtrat, ipſa materia nativa evincit, promta ad

motus fermentativos ſpiritum ardentem exhibentes arguit. Quæ pro ſale, oleo & ſpiritu copioſiſſimo in ſimilibus cibis exiſtente militant, innumera ſunt & in demonſtrationem cadunt evidentiſſimam, omnem dubii locum tollentia, facile heic accerſenda, ſi de horum certitudine unicè ſermo inſtituendus eſſet, at ſufficit brevis circa nutrimentum definitio ſequens.

Quod multo abundat oleo & liquido ſpirituali turget alituræ conſtantiori perficiendæ imprimis aptum natum eſt, huic ſi admixtæ ſint farinaceæ partes, ita ut commodiſſimè in ſpeciem emulſionis ſeu cremoris redigi poſſint res ingerendæ, chylo per excellentiam nutriticio conficiendo conveniunt. Si vero ea ſubſtantia ſit nimis ſucculenta ideſt aquea, gradum minoris alituræ conſtituit, ſufficiens ſæpe tamen eſt, ſi in quantitate majore offeratur ſtomacho alimenti recipiendi avidiſſimo & inſtructiſſimo vigentibus ſuccis diſſolventibus, quæ in ruſticâ gente quam maxime vigent. Licet igitur concederemus, ejus nutrimentum minus tenui oleo ita ſcatere & ſpiritu, copia ejuſdem & optima digeſtio quantitatem ſucci balſamici lymphæ ſufficientem confert, licet inſuper careant hoc oleo, in lardo, ſevo, ſimilibusque maximè alibilibus cibis, ſufficiunt vero, ad tolerandos vehementiores agriculturæ & meſſis labores,

bores, ut pares sint rustici ad vires resarcien-
das, nam talia constanti & gravi actu instru-
cta optime refocillant per longius tempus.

Porro quæ motui parent ut indicavimus fer-
mentatitio dicto, spiritu oleoso turgere debe-
bunt, ut spiritum inde fabricent ac dimittant
ardentem, id est, attenuatum & simul gratum
acidum, illius motus ope unicè acquirendum,
nervis & toti Machinæ, qua solidæ qua fluidæ
corroborandæ vigorose inserviunt, i. e. velo-
citatem bonam & commodam omnibus fun-
ctionibus facultatibusque nostris largiuntur,
quæ primariam nutritionis nostræ intentionem
constituunt.

Frumento etiam vilissimo tales inexistere ma-
teriæ portiones, nemo sanus in Chemicis le-
viter innutritus nescire potest, imo easdem ex
fabis, pisis, milio, maiza, loto, (ex quo o-
lim lotometram concoquere solebant:) hordeo,
avena, radicibus juccæ, sagdu arboris medulla
in Moluccis insulis usitatâ, fructibusque plu-
ribus posse in copia elici evidentissimè constat;
ut demonstratione nullâ hæc indigeant, videan-
tur tamen quæ habet Cl: Henr: Mundius, e-
sculenta & potulenta describens variarum gen-
tium, reperiet cuncta spiritu & oleo turgen-
tia. Has etiam oleosas & spirituosas portiones,
ex similibus vilioribus dictis, melius quam ex
lautioribus & prætiosioribus in majori copia

poſſe obtineri, unusquisque naturæ curioſus Ruſpator experiri potis eſt.

Denique, conſtantiores eſſe ſolidas ramoſas partes ſpirituoſis hiſce nobilitatas & cinctas, tuto negaverit nemo, unde diutius moram nectunt in corpore alendo, majusque nutrimentum Machinæ præſtando, antequam in leves vel graves ſeceſſus abire queant poſtmodum ejicienda vel diſpergenda nutrimenta.

Hæ igitur ſunt veræ roboris & firmitatis illorum hominum cauſæ, non aliæ, de quibus multa in medium proferri poſſent ad vitæ beatioris & longioris fundamentum facientia, ſed hæc altioris ſunt indaginis, & inſtituto noſtro præcedentia nunc ſatisfaciunt.

Vanam exinde & à veritate longiſſimè aberrantem ſententiam Clariſſimi Baglivii eſſe liquet, quod ſolido nimium tribuat honorem, & nobile liquidis ſubtrahat opus, alimenta enim ſolida nunquam accedunt ad nutritivam & conformantem facultatem, antequam in fluidum ſtatum ope ſalivæ, (cujus vim ſolventem cum Chemicis eximiam deprædicat Baglivius pag: 197.) aliorumque liquidorum redacta fuerint; nec naturales actiones ſeſe ante manifeſtant, niſi poſtquam liquidæ portiones materiæ; ſui juris & motus liberioris exſtiterint, cujus fons & origo ventriculus diverſitatem inſignem profert conquaſſatione variâ & præſertim

tim humorum affluentium ſtatu diſcrepanti; ut patet ex ipſius aëris tempeſtate variâ, ſalivæ alteratione & humorum craſſitie aut tenuitate &c. Hæc ingeſta ipſa miris modis diſponunt, modificant; alterant, mutant, ut dubitationis anſa omnino in hac opera præſcindatur, niſi ad ſcepticismum quis natus ſibi nec aliis fidere velit. Hiſce equidem non obſtantibus, Doctiſſimus Pitcarnius infert diſſert: de motu vent: pag: 68. *Solum eſſe motum ventriculi atterentis & comminuentis cibos aſſumtos qui coctionem abſolvat*, quare ob tonum ſolummodo laxatum languescente, appetitus & digeſtio proſterni debet ſecundum hujus & Baglivii ſententiam: quo exemplo igitur patet, Mechanicos hos, ultra ſolida nihil fermè ad phænomena ſanitatis & morbi deducenda conſiderare, contra plerorumque omni tempore Medicorum ſententiam, qui fluidis primarium in his locum natura duce & experientiâ comite conceſſerunt.

Si enim tam impotens eſſet fluidorum neceſſitas, de iis eorumque conſtituentibus moleculis ſtatuiſſent: omnes Chemicorum non ſolum peregrini hoſpites ſed etiam oſores, ut mirificè & ſatis ſuperbè de illo odio gloriatur Willem Cockburnius, quamvis ad explicationem curationemque morborum veniens nil niſi Chemiam fere crepet, cum nempe manifeſtè pronunciat poſt invectivas plurimas in Chemi-

cos datas, & continuatas poſtmodum, calorem oriri a ſale ejusque motu feroci, omnesque functiones potiſſimas noſtræ Machinæ ab eorum blando motu dependere in liquidis ſpiritibusque competere directionem functionum plerarumque in ſanitate & morbis.

Denique ſi quis de fluidorum potentiâ dubitet, dubitationis alea ipſi facile tolli poteſt, ſi adeat Philoſophi eximii & toti orbi notiſſimi doctiſſimam orationem *de rationis viribus, & uſu in ſcientiis B. Volderi*, Anatomicis ſtrigilem ubi dat, dicens, *dum idem illi fluida corpora quæ maximam partem bonam & malam valetudinem præſtant, ac ſi nullius momenti forent negligunt*, & ulterius, *ea ergo experimenta Anatomica, ſummo quidem cum judicio facienda ſunt, ex quibus pateſiant corporis noſtri non mortui membra, ſed vivi actiones, qui fiant, qua partium operatione, quo fluidorum motu perficiantur.*

Profecto hæc teſtimonia ſufficerent etiam rigidis Cenſoribus Chemiæ, utpote prolata ex talium ore, quibus pauciſſimus honos illi arti tribuitur & praxi Medicorum vulgari. Sed & mille talia produci poſſent, in & ab ipſo Hippocrate, ubi de igne, ſpiritu, anima aliisque fluidis corporibus ſua profert ratiocinia, cui repugnare ſacrum ducunt adverſarii ipſi, imo

tanquam

nquam ſub hujus clipeo tuti, ſe tegunt ſæpius
edicinæ & naturæ hoſtes.

Solida per ſe nullo motu prædita, a fluido-
m impetu & momento, tenduntur, contra-
ntur & eorum acceſſu augentur, creſcunt,
gent, variumque elaſticitatis gradum obti-
ent. Omnis igitur actio ſolidorum, legibus
idi ſubjicitur, in morbo æque ac ſanitate,
eoque Medicis ad fluida reſpiciendum natu-
neceſſitate fuit. Hæc enim in microcoſmo
macrocoſmo, alterationi mutationique per
otum & acceſſum alius fluidi primarie ſunt
noxia, digeſtio, maceratio, inſolatio, co-
io, miſcela alius, horum figuram inſigniter
terant, fluiditatem vel augent vel minuunt
enique naturæ luſus hinc in ſcenam tandem
lidam prodeunt.

Cuncta hæc phænomena in ſuo ſubjecto ob-
eniunt, Medicis ruſpanda, examinanda, in-
eſtiganda vel deprimenda, in variis locis, al-
eis, tubulis, interſtitiis, vaſis & cavitatibus,
quibus continentur & coërcentur in ſuo
otu fluida, adeoque mutuo auxilio egent
ntinentia cum contentis, ut Machina integra
rvetur vel de hoc ſtatu deturbetur. Quid
itur ſolidorum auctor Baglivius eo usque ade-
it, ut eorum ſtatus unicè rationem in expli-
ndis morborum cauſis & eorundem curatio-
ibus habeat, *vis Elaſtica in integrum eſt reſti-*

tuenda

tuenda fibræ motrici, ejusque crispatura & tensio nimia tollenda, tandemque æquilibrium humorum servandum venit secundum Cl: Viri præcepta centies forsan repetita, & pro novis obtrudenda iis, qui Medicorum sectas vario tempore vigentes & recoctas nunquam examinarunt.

Retrogradere lector ad seculum mundi quadrageſimum, doctores Medicos ejus examina, videbis ſententiam Baglivii eo tempore ortam & genitam per Aſclepiadem Pruſianum, Themiſonem Laödicæum & Theſſalum Trallianum methodicæ ſectæ principem, ut refert Moebius in fundament Phyſiol. præprimis vero Daniel le Clerc hiſtoir: de la medicine part: 2. libr: 4. ſect: 1. qua hujus ſectæ ortum, progreſſum, medendi methodum, remedia, refutationes memorantur & auctores. Hæc Baglivius, novo quaſi ornamento fibræ motricis & duræ matris, verboſè recoxit, & pluries ne dicam ad nauſeam repetit, ſed manifeſtiſſimis verbis in præf. ad pract: vet: cap. 9. 12. & pag: 175. &c. ubi duplex fibrarum vitium, criſpaturam ſive tenſionem vel laxitatem nimiam incuſat, *utpote in quibus magis reſident morborum cauſæ, quam in mille fictis humorum moleculis, & mille ſomniatis acidis* ſecundum ſenſum Baglivii, qui more ſolito ſui ipſius refutator eſt, nam pag: 165. vitia humorum mox ab ipſo negata agnoſcit, de cauſa laſſitudinis diſſerens, morbo

chroni-

hronico affectorum. *Quoniam*, ait, *illorum anguis vappidus crudus acidis viscidisque particulis refertus est:* & paulo inferius de massâ sanguineâ agens, *salium variii generis, terræ, globulorum rubrorum, & mille aliarum particularum* ad mentem Hippocratis, de vet: medic: *congeriem esse* statuit; adde quod vitia ossium a alino terrestribus in sanguine abundantibus deucat pag: 5.

Judica jam, Lector veritatis avide, de Baglivii methodo, quid illa contradictionum plenius? Quid sub larvâ novi antiquius, constantem ipsius inconstantiam reperies, antiquissima & ab omni Medico notata, proposita & ventilata tanquam omnino nova argumenta obtrudere, omnibus nervis, fibris & dura matre tensissimis conatur, quæ computum non merentur. Sed ne gratis tamen hæc dixisse videar, quid argumento de morborum successionibus vulgarius & omni tempore magis in prognosticis practicorum pronunciantis inculcatum, quod *tamen omnino recens & nunquam*, quantum ipse noverit, *à Medicis tractatum & examinatum* proponit pag: 122. Baglivius, quis enim ignorat tumores in scirrhos, hos ex materiæ stagnatione & corruptelâ in cancrum facillimè abire, quod Græci Epigenesin vocarunt. Hujus successionis exempla Baglivius cap: de morbor: succeſſ. plurima absque ordine congessit, ex

Hippo-

Hippocrate, Martiano, Dureto, Ballonio aliisque veteribus, nullumque fere morbi ſucceſſum tradit, quem Medici hi non annotarunt, uti omnis cap. cit. reperire poteſt ſtudioſus lector æquo judicio inſtructus, ſed Baglivium eundem Protheum in omnibus ſuis ſcriptis reperiet, ex quibus innumera inſtituto noſtro adjicienda proſtant argumenta, quæ campum bilioſis diſputationis ampliſſimum aperiunt, & locum forſan ignorantiæ damnoſæ vel erroribus plurimis concedunt, quorum plura refutationem vix merentur. Ex eodem male quæſito principio ubi fluunt, de quibus mentionem feci, eodem loco collocanda veniunt eidemque cenſuræ ſunt ſubjecta. Hinc brevitati ſtudens, huic negotio ultimam manum adhiberem, niſi animadvertiſſem virum clariſſimum optimorum præceptorum propagatorem pariter pariterque neglectorem, ei etiam eſſe errori ſervili obnoxium, ut malit auctoritate Hippocratis potius niti, quam ratione uti, ſeſeque adeo huic mancipare ut mandatarius evadat divini ſui idoli, aut ut expreſſius quid dicam, ſe publicè declarat mancipium ad ejus divi cerebrum interpretans naturæ opus, quod obtrudere etiam ſuis lectoribus abſolute annititur. Sic ipſi tandem venerationis quædam pars accedit, ut ſervis fieri ſolet ſuperbis, quæ per multa ſecula idololatris auctorum antiquorum,

negle-

glectoribus naturæ illiusque operum, illud im est ſapere iis, quibus ſervitus prima laus honos eſt.

Ne igitur hic à me verba dari quis credat, l hunc modum Baglivius maximi inter quos-m Medicos Mechanicæ ſectæ nominis, de ſuo quitur Hippocrate in animadv: in pract: nov: *ſtquam* nempe *miſſis cæteris libris totum ſe Hip-cratis ſtudio tradiderat, aliquam medendi ra-onem inde aſſecuturus, & eum prope memoriæ andaverat, cognovi* inquit *illum demum eſſe erum artis Medicæ ducem, magiſtrum & auſpi-m*: ſed ſi eidem credamus, ad ſolidorum co-nitionem lectione Hippocraticâ aliquam per-enire non poſſimus, profitetur enim in ani-adv. in Theoria nov: ſe in ſuſpicionem inci-ſſe, *optimum illum ſenem arcanam aliquam fo-ſſe in animo ſpeculationem de ſolidis, quam po-eris aperire abſtinuit* invidus forſan illius the-uri poſſeſſor. Unde igitur ſolidorum hic au-tor ſuam ſcientiam adeptus eſt? miſſis cæteris bris qui hanc tradunt & Hippocrate deficien-. Forſan Hippocraticis deliciis ſatur, in ob-vionem incidit eorum quæ Hippocrates de car-ibus, corde, glandulis & oſſium natura inte-ris in libris conſcripſit. Sed objiciet forte ortunâ contenta librorum Hippocratis, non mper ſatisfacere ſuis titulis, quod lubentis-mè ipſi concedimus, multaque veterum Me-

dicorum

dicorum ſcripta ſub Hippocratis nomine exſtare, ut de libris de veter. Med. de ſalub: diæt: de genitur. de nat. puer. de alimen. &c. poſt Galenum, plurimi annotarunt. Hoc idem tamen de libris de corde & glandulis &c. non conſtat, quamvis de hac re diſputare nolim ; ſufficit me ſolidorum naturam diſtinctè percipere, ſcire enim quid ſtrictè Hippocrates de ſolidis ſenſerit, inutile plane eſt, niſi magis de ipſius ſententiâ ſuper hac re, quam de ipſius rei veritate velim ſollicitus eſſe. Utiliſſimum tamen eſt & neceſſarium, ſolidam ſubjecti ſui conſtitutionem perſpectam habere Medicum; quam utut Baglivius ab Hippocrate minime adeptus ſit, tamen magiſtrum artis Medicæ eum appellare non veretur, ſed ſicubi homines, in examinandis aliorum operibus, ſimplici alicujus auctoris vel ſcriptoris nomine vix contenti ſint, etiam ipſis idolis, vel idolorum horum ſervis non ita credas, ut hæc nomines, ſui ſeculi prodigia, dona cœlitus accepta, denique ea inter divos colloces. Quod, licet Baglivius lib. prax. cap. 4. §. 3. reprehendens, ait, *recentiores modo deos modo principes ſcientiarum appellare, res eſt parum prudentis viri atque de auctoribus ſumma ſentientis*, tamen hujus moniti oblitus in animadv. in pract: nov: §. 4. *incumbendum & obediendum eſſe* vult *præceptis divini ſenis* qui ſuo tempore

inter

inter recentiores numerari absque dubio non erubuit.

Quid illud quæso est, nisi mera contradictio? quis memoriæ suæ compos hæc loquitur? & nisi ego quadam erga Professores nostræ artis reverentiâ essem obstrictus, quodam insaniæ cum Malebranche titulo hæc insignirem. Taceo quod vetulum rudemque Medicum, vix Latinam callentem Linguam, verbo Hippocraticum agyrtam, præferat Medico rationali, in omnibus Medicinæ fulcris versatissimo; (*quæ sunt propemodum ostentationes vanitatis* secundum Baglivii sententiam in animadv. in pract. nov.) Taceo audacissimum monitum lib. prax. Med. tertium Romani nostri, ubi *naturæ non hominis voce loqui* statuit *Hippocratem*, *Medicorum Romulum*, *cui nec ætas prisca vidit parem in re Medicâ*, *nec videbit futura* &c.

Perversa veneratio, hominis ratione compotis, erga hominem, cui veritates ab Hippocrate distincte traditæ innotescere possunt, quibus innumeras ex aliorum experientiâ & propriâ industriâ detectas adjungere, seculique præteriti per experimentalem Philosophiam felicis etiam secundum Baglivium inventa accumulare potis est, de quibus antiquitas ne quidem somniavit, ut sunt sanguinis in gyrum motus, viscerum accurata descriptio &c. cur igitur tantis encomiis suum effert Hippocra-

tem, tanta gloria ipſum cumulat? Hac certe ſpe tantum illectus hanc ad ſe gloriolam redundaturam. Adeoque philautia amplam ipſi ſubminiſtrat laudum ſegetem, ut eam poſtea in ſuos uſus convertat; quid mirum igitur? Quod omnem felicitatem (ſi huic in Medicinâ locus concedendus ſit) in praxi a ſolo hoc divo exſpectandam eſſe pronunciat, unicum ex innumeris huic rei probandæ locum adferam, qui exſtat omni probatione vacuus cap. 2. de morbor: ſucceſſ: *qui bene callet Hippocratem, felix erit in prognoſi, aliter minime; qui textus Hippocratis memoriæ mandaverit, dein componere ſimul & ad curationem determinare noverit, feliciter curare & præſagire poterit; aliter minime*: Medicus autem felix prudentiâ multâ opus non habet fortunâ ipſi favente.

Incumbebat vero Baglivio, antequam hæc tam audacter protrudiſſet, probaſſe, Hippocrati omnia fuiſſe cognita, eaque plana poſteritati fuiſſe oblata absque ullo fuco, cujus exemplum manifeſtiſſimum agnoſcit vir doctiſſimus de ſolidis, dein Hippocraticæ experientiæ Medicorum ad hoc ævum usque inſignium experientiam, diligentiam ac induſtriam nihil addidiſſe, eam Hippocrati ſoli patuiſſe viam, naturam per experimenta indagandi, eamque præcluſam fuiſſe omnibus naturæ Ruſpatoribus, multaque alia demonſtraſſe, ipſi fuiſſe per-

erſpectiſſima. Hæc tamen antiquitati omni efuiſſe demonſtrant Malebranche, Boileus, liique viri rerum naturalium & veritatum in-uiſitores indefeſſi, luculenta etiam veterum pera & dona agnoſcentes, quibus ſua diligen- naturæ divexatione inventa, ad artis & ſcien-æ noſtræ illuſtrationem, jungere non veren-ur.

Habes lector benevole quædam, quæ mihi in entem venerunt circa ſyſtema Baglivianum, quo animadvertenda ſunt argumenta varios tramites abeuntia, quæ illi tantum uſui ce-ere poſſunt, ut ſuperbo quodam modo de na-ra tanquam de re perſpecta loqui addiſca-us, gloriolæ non doctrinæ avidi, hinc ut a-quid in uſum & commodum vergere poſſit, quentia vere Theoretico-practica deſcribere exhiberé mecum putavi, ſed breviſſimo ſty-ex opere naturali & ad praxin claram atque ſtinctam formandam accommodato funda-ento.

Solida fluido originem debere ipſa docet na-ra, & plurium Phyſicorum ſunt ſententiæ, ibus accedo.

Hæc ſolida, fluidis undique ac undique ſti-ri, imo ex iisdem conſarcinari, inſtar acer-vel cumuli cujusdam pulviſculorum mini-orum per ventum æthereum agitatorum, non us ſtatuo, ſed ipſa experientia convincit.

Haſce particulas ſolidas materiam nomino, æque in fluidis quam in ſolidis dictis, ventum autem illum æthereum, aut ignem, aut aquam ſubtiliſſimam, (ſit mihi fas ita loqui) portiones materiæ immerſas voco, quas æque agnoſco, ſed non parili quantitate in ſolidis, quam in fluidis.

Materiæ aſſigno quietem, vimque omnem & poteſtatem reſiſtendi, & pro tempore retinendi portiones ſpirituales.

Portionibus adſcribo motum, omneque momentum actionis, quam obſervamus in ipsâ materiâ.

Materiæ quantitatem, molem vel maſſam nomino, materiæ autem qualitatem inquiro in illius molis diſpoſitione & conformatione variâ, quæ præſertim exteriores & ambientes ſuperficies illius molis ſpectat, poſtmodum poros & tubulos varios fingit, ex illius materiæ ſeu molis nexu, ſitu & ordine.

Portionum quantitatem, in collectione quâdam majori vel minori mobiliſſimarum particularum reperio, ita ut unitis & concordibus quaſi viribus unum in actum conſpirent; numero plures vel pauciores a ſe invicem independentes liquidiſſimæ portiones, eo tempore, eo etiam in loco, unam quaſi molem agentem conflantes, ut e. g. in uſtione, calore fovente & ardente &c.

Portionum qualitatem maximam conſidero
. materiâ leviſſimâ, aſſociatâ ſpirituali immer-
: portioni, quæ cum in ſuâ perſiſtat formâ
qualitate, omnibus ſuis accidentiis ſtipatâ,
m exinde ſpiritualis actionis directionem,
l ſpeciales quosdam motus limitari & diſponi
illâ materiâ reſiſtente, obſervo & colligo, e. g.
: oleum aniſi, cinnamoni &c. ratione irreti-
ſeu immerſæ portionis ſpiritualis, unum
æmque erunt, ſed non ratione ſolidæ materiæ
rreſtris vel ſulphureæ diverſimode diſpoſitæ,
nnexæ & per ſe quietæ, unde pleraque olea,
ſolâ ſpiritualis illius materiæ jacturâ & fu-
, relinquunt materiam fere uniformem reſi-
ſam &c. in viribus haud diſcrepantem.

Materiam & materiæ portiones ſe mutuo
icere, unicuique curioſo cernere licet, ita
men ut quædam inter hæc duo relatio ſit,
nc majoris nunc minoris reſiſtentiæ aut actio-
s, imo ſæpius obſervari, nullam eſſe viſibilem
l ſenſibilem operationem inter utramque.

Ex hac luculentiſſimâ obſervatione, omnia
campum prodeunt experimenta & opera na-
æ, quæ nempe ſunt corporum luſus & exer-
ia præcipuè cognita, ſub vitæ, morbi &
ortis, vel generationis, alterationis & corrup-
nis nominibus proſtantia.

Solidam attamen materiam, magis pati a
idâ portione, quam fluidam à ſolida defen-

do, hanc autem non immunem esse a resistente materiâ, ipsius motum retardante, alterante, detorquente, ipsique sese adjungente, ac una cum liquidâ portione ad actus varios procedente in opere naturæ video.

Hasce compositas, unam massam constituentes fluido-solidam aut solido-fluidam, plurimum debere parti fluidæ, levissimis solidis imprægnatæ, posthac coalescenti, per approximationes varias, mundana demonstrant vegetantia corpora, quasi ex atomis conflata.

Primam coalitionem, productionem vel generationem illius massæ, deberi huic materiei ejusque constanti aut debili resistentiæ suam conformationem primam contribuere, ex quadam minimarum superficiuncularum materiæ ad se invicem accedentis & adaptandæ aptitudine evidentissime liquet in omnibus corporum naturalium phænomenis, ita tamen ut materia ipsa portioni spirituali intermixtæ suum debeat ornatum & culturam nobiliorem.

Portiones has, generaliter sumptas, divido in tres partes, qualitate sua distinctas, in aqueas subtiles, in ramosas, & in salinas rigidas, quas omnes agnosco velocitatis momenta obtinere ab ipsâ materiâ æthereâ & aëreâ, quæ ipsi materiæ & portioni ejus levissimæ & spirituali intercedit.

Prima portio ea est, quæ maxime naturalis & fa-

& facilis reſpectu materiæ movendæ & afficiendæ quibusdam Phyſicis dicitur, quæque ſub animæ naturalis ſeu vegetativæ calidi innati & ſpirituum animalium nomine, in Machinâ noſtrâ proſtat, ita tamen ut aliis non ita levibus portionibus, moderatis vero & per humidum illud molle roriferum mitigatis non careat: hinc enim impetus talium mollior blandiorque exiſtit & partes materiæ minus diſcontinuat, atque diutius in illâ materiâ craſsâ moram neſtat.

Portio ſecunda magis oleoſa & acris exiſtens, vires ſuas exerit partim balſamicas, partim igneas ſeu magis ſenſibiles, & hanc cerè ob cauſam animæ ſenſitivæ fidelem miniſtram hanc eſſe puto, cum ſit ſpecies lucidæ cujusdam materiæ, in oleoſis maxime corporibus fulgentis. Hinc motus præcedenti facit conſtantiores & ferociores, unde Phyſici plerumque hanc deſcribunt portionem ſub ignis vel caloris titulo, & Medici in noſtrâ Machinâ ſub inflammationis cujusdam bilis vel bilioſi temperamenti nomine: exinde etiam animalia, ſemine maxime ſpirituali oleoſo turgescentia ferociora evadunt aut exiſtunt, præſertim tempore pruritus inſignioris circa illa vaſa ad coitum ſtimulantis, unde etiam in morbos calidiores prona magis ſunt talia animalia,

quæ poſt caſtrationem, illis portionibus privata, mitiores omnes poſſident actus.

Portio, tertio loco repoſita, eſt violenta, rigidis ſuis particulis materiam diſcontinuandam vehementius afficit, ſiccâ equidem & merè igneâ, ut ita loquar, affectione illam diſponit, turbat, inflammat, deſtruit, præſertim ſi talium particularum copia violentis accedat effectis, per motum vehementiorem augendis.

Hæc portio igitur eſt deſtructoria & præternaturalis, reſpectu vitæ vegetativæ & conſtantiæ ipſius materiæ, unde ſenſus dolorifici, triſtis & acuti omnis eſt fundamentum & origo, in quibusvis Machinis, præcipue ſi hiſce ſuppetias ferat aër ſiccior, talibus inſuper portionibus turgens.

Omnes hæ portiones, momenta ſuarum actionum (prout ante innui) limitata offerunt, reſpectu materiæ cui occurrunt, duæ autem priores, benigniores in ſuo opere exiſtere ſolent, ob molliores & obtuſiores portiones facilius cedentes impetui & niſui aliorum, quam denſitate ſuâ magis reſiſtentes, quibus accedit configurationis pororum, & meatuum in materia diverſitas. Ultima autem hæc portio, quæ proprie ignea & ſalina vocatur per excellentiam, ſæpius ſibi fingit & vi parat aditum in materiam, quam ad ſuum nutum violenter diſponit, fingitque poros & meatus novos

os, unde maxima inconſtantiæ ſigna creat n formis & figuris alterandis ſuoque acceſſu nutandis.

Haſce portiones poſſe adeſſe & abeſſe pro uantitate & qualitate majori vel minori in ipâ materiâ ubique obſervo, easque poſſe infinis modis alterari ex portionibus illis variis quæ liunde adveniunt, maxime attamen ex aëre & limentis, ut & a concuſſione variâ, & materiæ commotione, experientia edocet vulgariſſima, unde tam ſolidi quam fluidi momenta nultum variari neceſſum eſt.

Jam vero ad obſervationes accedo, quæ ex iac breviſſimâ hypoteſi emergunt, practicæ luulentiſſimæ, clariſſimæ & evidentiſſimæ ab mni parte ſufficienter diſtinctæ ſtabiliendæ abolute neceſſaria. Has in tres potiſſimum clases, ad potentiam illarum portionum & materiæ ccommodatas, diſtinguere ſoleo, utpote ſpiriualem actum internum ad normam externi ttiam mundi dirigentes.

In hiſce autem experimentalibus contemlationibus, ſtatum ſemper mihi aliisque prono præternaturalem Medicis ita dictum, quoniam æquilibrium actionum, quod ſanitaem appello, ſibi tantum Theoretice primo roponit practicus, ſemper collimans ad praxin, uæ eſt nobilior anima ipſumque Medicinæ undamentum. Ideoque ſemper in tali caſu,

quoddam prædominium ſuperbum & noxium noſtræ Machinæ, hujus illiusve portionis aut materiæ, Medicus ſibi ut proponat neceſſe eſt.

Primo, ſeroſum luxuriantem ſibi aſſumit ſtatum, in hoc autem omnes effectus nimium molles languentes & torpidos portionum ſpiritualium cernit, ipſum humorum orgasmum, partium ſolidarum tonum enervatum, momentoque actionis neceſſariæ deſtitutum obſervat, ut fit in hydropicis omnibus morbis, ſub quorum nomine etiam catarrhi numerari poſſunt.

In tali caſu ipſam materiam & maſſam illo vitio laborantem diſtinguit, ut ſua inde neceſſaria ſeligat auxilia Medica, exemp. grat. ſi cerebrum, vaſa ſpermatica, lien vel hepar loca ſint affecta, primo perpendit Medicus functiones naturales & ſanas earum partium ſeu locorum in Machina, quas ſolent auferre aut depravare illæ partes in jam labefactato ſtatu, dein perpendit elaborationem & conſtitutionem fluidi ibidem naturaliter in ſuo motu & figurâ contenti, quam nunc ab illo ſtatu aberrantem rimatur ſedulo.

Denique remedia ipſa in ſuas claſſes diſtincta, portionibus variis inſtructa invocat, ut pleraque quidem velocia aut mobilia eſſe adhibenda ſciat, ſed nunc ſpiritus, nunc olea, nunc ſalia, nunc tincturas, nunc decoctiones, nunc infuſiones, quando, quomodo & ubi

hæc

hæc ſuo tempore & modo eſſe applicanda di-
udicat ac ſummo diſcernit cum judicio, priſti-
num ut vigorem & ſtatum maſſa ſolida, pars
iquida, & tandem Machina laborans recupe-
ret.

Quod ut exactius obtineat, ipſum ſerum
ſæpius per experientias divexat, ex acceſſu &
ceceſſu aliorum corporum prudenter colligit
tandemque dijudicat de rei naturâ & actionum
inducendarum circumſpecto momento, quod
poſtmodum circa experientias plenius patebit,
ſaltem in hac conditione, ſummâ cum pruden-
tiâ, procedens Medicus, nullo modo figit aut
deprimit, ſed blandè ipſas partes ſeroſas exal-
tat, abundantiamque ſeri ſecernit ab ipsâ ma-
teriâ & portione ſuperſtite.

Portio ſulphurea ſeu ramoſa peccans, duo
involvere effecta Ruſpator curioſus naturæ a-
nimadvertit, quorum prius nimiam partium
acrium, inflammationis auctorum, velocitatem
exhibet; poſterius quandam retardationem
partium, nimium vel incraſſatarum, vel in ſuâ
figurâ depravatarum offert, ubi ſeroſior ſolito
exſtiterit, motum inteſtinum facile concipiens
humor.

In hiſce motus febriles ac inflammatorios,
etiam ſpeciem imaginariæ plethoræ in ſangui-
ne, ad ſenſum maxime erroneum externum ita
apparentis, conſiderare poterit ſi velit, quam-

vis

vis revera illa toto cælo abſit, ſi quantitatem ſanguinis reſpiciamus.

In hac ſcena, ſanguinis prædominans maſſa ſuos valdopere actus promovet, tam ad diſtenſionem, quam ad fibrarum & tunicarum irritationem, illiusque portio liquidior Lymphæ communicata, illam in principio nimis pinguem ſero ſuo quaſi depaſtam efficit, & per conſequens acrem reddit, unde membranaceæ & nervaceæ partes nimis rigidæ, tenſæ, criſpatæque evadunt, vigilias reliquaque ardoris effecta poſthac producentes, facultatibus animæ & corporis noxias & doloroſas, quæ partes in præcedentibus, ut plurimum ſunt doloris & ſæpius ſenſus requiſiti expertes.

In tali ſtatu, Medicus abſtinet a præcedentibus remediis, & ſibi ea eligit omnia, quæ portionum immerſionem in ipsâ materiâ promovere poſſunt, ita ut momenta motuum & actionum in illis fluidis ac ſolidis retardentur.

Inter hæc remedia, principem locum obtinet aqua communis, cui adjunguntur terræ ſive graves ſive mucaginoſæ abſorbentes & involventes, ut ſunt emulſiones, gelatinæ, mucagines, &c. quoniam ad ſpecialia recedere propoſita brevitas me vetat; decocta herbarum & infuſiones refrigerantium, emollientium & anodinarum, julapiaque varia, huic remediorum claſſi, annumeranda veniunt, dummodo

prudenti

prudenti consilio distinguat & seligat Medicus ea, quæ nunc captanda nunc vitanda sunt remedia.

Venæ sectio in hoc casu primarium sæpe & vere Herculeum est remedium, ob rationes ante dictas sanguini competentes, species enim revocillationis est materiam simul cum nimis velocibus portionibus detrahere peccantem, ipsiusque momentum in vasa nimis tensa & rigida debilitare, aëris refrigerium, succedentis nempe in locum sanguinis detracti, invocare & admittere.

In tali autem casu, quia motus ad violentiam facile transeunt, Medicus summâ necessitate abstinet a nimium efficacibus remediorum operibus, præsertim a catharticis cujusvis nominis violentioribus.

In altero statu fixiorum nempe partium ramosarum & viscosarum seu pituitosarum ad nimiam stagnationem & corruptelam tendentium, purgantibus opus est aliquando violentis, particulisque fluidioribus & remediis ipsam materiæ corruptæ figuram corrigentibus, quæ nempe partim materiæ velocitatem augere, partim ipsam determinationem actionis emendare queunt.

Hæc intentio ut plurimum a Medico obtinetur, per tincturas minerales, animalium & vegetabilium extractiones, quibus tales inesse debent

debent ſubtiles portiones, ut ipſi reſiſtere actioni poſſint depravatæ, qualitatem ipſius materiæ mutantes, tandem quæ diuretica ac diaphoretica facultate & vi valent, ut ſcirrhoſitatem & cachexiam præcaveant imminentem vel exiſtentem, cui etiam uſui ſtomachica per excellentiam inſervire ſolent amaricantia.

Portio ſalina rigida tandem conſideranda venit, quæ ſecundum ipſius diſpoſitionem, plerumque etiam partium ſolidarum affectionem hic & utrobique alterare ſolet, ſive in titillatione aut pruritu ſive in inflammatione, ſive in læſione manifeſta.

In hoc ſtatu ritè examinat ea, quæ a Chemicis diſtincta in ſuas claſſes proponuntur ſalia, ſui juris facta, ſive in Machinâ noſtrâ, ſive in aëre, ſive in alimentis ad abuſum aſſumtis; hinc ſcorbutica obſervat effecta differre a malignis & peſtiferis læſionibus, ut & a ſcabie diverſa, in hoc uno coincidentia, ut ipſas corrodant partes easque diſcontinuent in quantum ſolidas; ibidemque rite obſervat ipſius ſalis extricati prædominium, partim corporibus ferosis, partim ramoſis acribus, partim rigidis terreſtribus jungi & copulari.

In hac quidem diſtinctione, generaliter illàm portionem ſalinam agentem, at poſtmodum materiam illam dirigentem & limitatam judi-

diciosè ponderat, ut ſua remediorum appli-
tio methodicè & vere Medice fiat.

In ſtatu acri ſalino, i. e. ramoſo, velocita-
m actioni conſtanti junctam cernit, unde &
nguis & omnes partes contentæ ſimul cum
ontinentibus pati ſolent, accedente calore &
rvore, haud raro cum maculis rubris & pur-
ureis apparentibus, admodum in cute rutilan-
ous.

Huic ut opituletur malo Medicus, ad ea
onfugit quæ balſamo & ſpiritu veloci acido
ſtructa ſunt alexipharmaca, quæ ſeſe exiliſſi-
is illis portionibus acutis & malignis, mas-
m ſanguinis & lymphæ turbantibus, adjun-
ere poſſunt, ita ut, non ſolum in majoribus
aſis, ſed etiam in minimis latibulis ad corre-
ionem & emendationem accedere poſſint.

In ſtatu ſeroſo ſalino, conſiderat partes ad
cidum acre vergentes, præſertim rodentes
landulas vaſaque lymphatica, ut & præcipi-
ntes ſanguinem late & ſtricte ſumtum, cum
aculis obſcuris & ingratis, nunc pallidis,
unc flavis, nunc lividis, quæ omnia ſæpius
œtor partium affectarum concomitatur.

In hoc ultimo effectu, ad mera abſorben-
a fixiora aliquando etiam ſpiritibus ardenti-
us armata, oleoque ſubtili inſtructa confuge-
e debet, ut illius materiæ fixitatem partim
lteret, partim mortificet, tandemque cujusvis

gene-

generis antiſcorbutica potiſſime huic malo convenientia recipit.

Illud autem intendit, ut ſimul hic illic fæculentas tollat aut alteret partes, & de loco ſaltem moveat pertinaces, obſtructiones ne conſtantiores creent motuum remoræ, hancque intentionem aſſequitur potiſſime per vomitoria, purgantia, aliquando per excellentiam vehementiora & quaſi cauſtica id eſt inflammatoria, per diuretica ac diaphoretica acriora.

In ſtatu magis terreſtri, ſalino auſtero aut muriatico humore imbuto, Medicus ad ipſam conſtrictionem & vaſorum anguſtationem, ut & ad humorum lentorem varium attendit, ubi nempe materia lenta, aſpero & acidiori humori conjuncta redundat vellicante quadam acerbitate & acore in illis fluidis ſemper permanente.

Hæc quam proximè accedunt ad ſtatum præcedentem exceptâ roſione illâ cauſticâ & violentâ, ibidem enim flatulentiæ, ructus, murmura, borborigmi, ac hypochondriorum motus, ad ſcirrhum varium inclinantes cernuntur, morborumque conſtans pertinacia prædominium obtinet, per craſſæ materiæ infarctum, frigidioresque factos motus inteſtinos, cum flatulentiâ & diſtenſione frigida perſeverantes: in hac vero alteratione inſigni, plurimæ infauſtæ obveniunt corruptelæ ipſius materiæ, per ſtagnationem putreſcentis, ac ad varium ver-

gentis

gentis nexum, quæque ex coalitione nimiâ corruptarum ſecedentium partium calculos gignunt, patriamque vel ovulorum veluti incubatu, inſectorum ortum & progreſſum inſigniorem promovent.

In hoc inſuper motu, ſalia diverſi vel cujusvis contrariantis ordinis tutiſſimè & copioſiſſimè in uſum trahuntur, ut libertas portionis ſalinæ major inde emergat, ac ipſam materiam nimis limoſam & craſſam corrigendo, per inciſiones, attenuationes, incraſſationes illius, prout ordo poſtulat ipſius motus in conſpectum prodeuntis, inchoando a muriaticis fixis præſertim vitriolicis ſalibus paratis, pergendo ad acida tenuia, ſubſiſtendo in muriaticis & alcalinis.

Ratio etiam ſuadet ut invocentur aquæ ſimplices, ſale & oleo non deſtitutæ, ut dilutio cum lenta fluiditate acceleretur major, partium, craſſiorum vaſa infarcientium; tandem oleoſa ſpirituoſis juncta, poſt purgationes factas arripit Medicus, ut materiam & portiones materiæ, tenuium acceſſu, reddat velociores, ſic enim per quæcunque vaſa amandari poteſt, ut poſthac minus fluida materia ſuperſtes emendata remaneat, potiſſimum ad naturalem balſamicam figuram redacta.

Hæc breviſſime exarata, ſi quis ritè proſequatur, clavim & methodum theſauri Medici

Theoretici & Practici reperiet, quam magis nudam & latius extensam exhibuissem, nisi mihi festinandi necessitatem imposuisset brevitas proposita, ad alteram hujus operis partem & alia Mechanicorum dictorum vitia & errores transientis, ubi ipso titulo distincta video opera, re ipsa attamen una observo, ut dictis nempe valeant scriptores factis invalidi, adeoque laterem me lavare velle, unusquisque si velit statuat ac credat; parum autem sollicitus de rumore vulgi, hæc spernere solitus, doctrinam venor usui & commodo generis humani inservientem, Deo, naturæ & veritati unice litans, cum alacritate pergo.

THEORIÆ MECHANICÆ DELINEATÆ

PARS ALTERA.

Verulamius in augmentis ſcientiarum

Innumera commenta grata, & qualia quis optaret maxime, inſomniorum inſtar inſinuat ſcientiis.

Nimis generalia, etſi forent vera, hoc vitii habent ut ab actione deducant, hinc majus eſt periculum ex illis, quæ ex ſe falſa ſunt, loco deductionis veræ, ſeducentia.

THEORIÆ MECHANICÆ DELINEATÆ

PARS ALTERA.

Quamvis Baglivius ſua in Medicos Chemicos, ipſamque Chemiam injuſtè evomit Bacchanalia; non minus infauſto ſydere nata, ſic dicta Theoria Mechanica mentem impulit *Joh. Freind. M. B. Æd. Chriſt. Alumn.* Emmenologiæ nuperrimè Oxoniæ editæ, Auctoris, ut nigro carbone *infamem ab ipſo nominatum* notaret *abuſum Chymiæ*, quam ad Pharmaceuticum, cum pluribus hodiè Medicis, opus, relegat Vir, uti videtur, in hac arte, ejusque applicandæ methodo ad Medicinam omnem peregrinus forſan hoſpes.

Hæc ejus iniquitas, in præfatione ipsâ, poſtquam varias, circa muliebres menſes, auctorum ſententias recenſuerat, liquidiſſime patet; quare, antequam ad opus ipſum accedam, ad quasdam in hac gratis repertas & poſitas hypotheſes obiter ſaltem animadvertemus.

Plura & forſan majora ſunt Mechanicorum & Chemicorum vitia, nam qui homines ſunt,

nihil humani a ſe alienum putent; & nemo Chemicus homo naturæ miniſter in divexatione, & laboriosâ operum naturalium inquiſitione, ſe ab omni parte tutum, beatum, doctum & veritatis nudæ poſſeſſorem credat, ut de naturâ omnium ore quidem tritâ, ſed admodum abſtrusâ ſæpiusque incognitâ & neglectâ a pluribus, tanquam de re clarè & diſtinctè perceptâ Profeſſorio loquatur more.

Talis enim quantum auctoritate, tantum etiam detrimento ut plurimum valet, quælibet hic ſcriptor nullo admiſſo examine, liberius damnat, quoniam animum Chemiæ nobiliori non applicaverit vel applicare velit, illud integrum unicuique eſto, modo de ea ſaltem temere non judicet, ſed ſtudeat potius idem magis, quam ſibi inter alios acquiſivit, gravitatem & auctoritatem extendere, quam diſtinctè veritates addiſcere, atque docere alios, prima artium & ſcientiarum fulcra ſæpius negligens & ſpernens.

Prudens igitur aliorum conſilio, fide & clade Chemicus, generoſitate quadam pertinaci ductus, ſuam proſequi & tueri provinciam didicit, quæ feliciter, cito & cautè praxin Medicam ornat & promovet; ipſis inimicis palam illud confitentibus; hoc enim ſibi unicum honoris & gloriæ punctum Chemici tribuunt, ut commodo, utilitati & hominum jucunditati,

ti, re, opere, manibus, inſtrumentis, tanquam nobiliſſimis mundanorum operum auxiliis, ad ſublevandam vitæ noſtræ miſeriam deſtinatis, inſerviant; ad rem igitur ut propius accedam, neceſſe eſt, ut Medicus tale quid ſibi proponat, cui tanquam fini & fundamento inſiſtere poſſit, ſuam artem & ſcientiam exercens.

Medicus propter neceſſitatem eſt creatus, hæc ex morbo & morte exorta eſt, quæ removenda & debellanda ab ipſo erant, ſi hominum enim conſtantes & in ſanitate perpetuâ verſantes fuiſſent actiones, ac Geometrico more motuum æqualitatem obſervantes, Medici auxilio & Medico non opus erat.

Si ipſa vita perpetuus exiſtat morbus, imo, ſi Hippocratis Aphoriſmo 3. ſec. 1. credamus, *ſummum ſanitatis faſtigium attingere ſit periculoſum*, neceſſario valetudo quandam motuum a principio vitæ inchoantium involvit declinationem, perfecta enim ſanitas nulla datur, nec in puncto quodam mathematico conſiſtit, ſed ſuam quoque latitudinem habet, uti recte ſtatuit M. A. Sinapius in comment. ſup. Aph. 3. ſec. 1. neque in omnibus hominibus, neque in ſingulo, quâvis horâ eadem ſolidorum extenſio, & conformatio eſt; quod quam rectiſſimè demonſtravit G: Bidloo exercit: Anatom: Chirurg: de nervis.

Hinc eludit hominum Mechanicè & durè aliquid pro imperio ſtatuentium conatus machina humana, ſemper deficiens aut ſaltem pro tempore exiguo, aut in rariſſimâ occaſione hanc aut ſimilem propoſitionem admittens Geometricam, data enim quam diſtinctiſſima ſemper deerunt, ut hactenus ſectæ Mechanicæ defuerunt.

Morbus ut abigatur, inſtrumento ei Medicus oppoſito indiget, quod remedium, auxilium aut pharmacum nominatur, nam verbis, incantationibus magicis non magis cedet, quam ratiociniis Mechanicis, Mathematicisque utut perſpicuis & claris, nec per artem Characteriſticam perverſa fugit valetudo, cui idolo obnoxium fuiſſe Paracelſum ſcripta ipſius teſtantur.

Pharmaca tum ſimplicia, tum compoſita, rectum præparandi modum callens Pharmacopœus dicitur, ſub cujus denominatione etiam Myropolæ, aliique talis ſucci homines comprehendi poſſunt, hic ex aliorum doctiorum Medicorum præſcriptione, hæc, ſecundum illius artis notionem & formulas ita præparat, ut intentioni Medicæ & Pharmaceuticæ ſatisfaciat peritus homo.

Is miniſterio quamdiu tali addictus eſt (*Pharmacopola enim miniſter exſequens mandatum Medici eſt, ut notat de eo Mar: Malpigius in Reſp: ad epiſt: de Medicor: recent: ſtudio*) ulteriori haud

aud indiget ſcientiâ, aut arte, quam ut con-
inne & eleganter ea medicamenta, quæ ab
pſo nunquam fuere inventa, ſed in ſcriptis
Medicorum reperta, componat, & exhibeat,
t ut ulterius excurrat neceſſe non habet, nun-
quam de effectu & viribus reſponſurus, artis
Medicæ enim imperitus eſt, uti notat J: Bohnius
le officio Medici cap. 3.

Pharmaca excogitare nova, ea contrahere,
lla ita præparare, ut uſui & commodo huma-
ni generis, re & opere inſerviant; pro mor-
bis cito & tuto ſuperandis, non eſt Pharma-
copœi, ſed Medici exaſciatiſſimi negotium;
cui illud totum quantum demandatum eſt,
quidquid alii aliter ſentiant, quorum refutatio-
nem diſtinctam exhibet Bohnius lib: cit: cap:
21. cui accedit Verulamius in Augm. ſcient.
lib. 4. cap. 2.

Quis enim remediorum inventorem ſtatuet
talem, qui Medicam artem & ſcientiam om-
nem ignorat? niſi fatuus ſit, & ex merâ Em-
peiriâ temerariâ omnem deducat Medicam
ſcientiam, & Pharmaceuticam nobiliorem, ab
ipſis natam vilioribus operariis ſtatuat, ſummo
cum dedecore & ignominiâ, imo Medicinæ &
Medicorum contemptu.

Si quis tamen tam felici conſtellatione na-
tus exiſtat Pharmacopœus, qui pharmaca nova
cudere & invenire poſſit, ita ut (ſecundum

hunc & alios auctores ſuperbiori ex tripode pronunciantes, ſuaque inania jactantes commenta) perverſam valetudinem efficaciter & cito abigat, an non gratiæ ſunt ipſi plurimæ dandæ, honores & opes ultro concedendæ majores, quam tali garrulo Medico fucato, qui nihil ad uſum & commodum generis humani confert & aliorum labore, ſudore & induſtriâ abutitur?

Verba dare, præterea nihil, ſtrenuos pauperes nec ſublevat, nec egeſtati eorum ſuccurrit, ut enim eorum virtus ex re anguſtâ ſubmergitur, ſic illa, ut emergat rebus & factis opus eſt, quibus mentem, per manus & inſtrumenta neceſſaria adjuvare poſſint.

Multo minus aliquid in artium culturâ & progreſſu nobili confert emolumenti gravis promiſſor, verbis dives, nihil tanto dignum hiatu proferens, artes ipſas ſteriles reddens, ab inquiſitione admodum neceſſariâ deterrens artifices, manus languidas efficiens, animos ad deſperationem trahens, vilibus mancipiis lucro ſordido unicè intentis omnia temerarie & abuſive committens.

Hæc evidentiſſimè liquent in ipsâ Medicinâ, ejusque nomine tenus Doctoribus, alieno ſtudio magis quam propriæ arti ſæpius incumbentibus, (quod merito reprehendit Verulamius in Augm: Scient: p: m: 299.) ab omni fere

parte

e vero ſtudio ad ſcopum collimanti Medi-
deſtitutis, adeoque pauperrimis in ſuâ arte
iliſſimâ viris, poſtquam contemptui & ne-
ctui habita eſſe cœpit cognitio nobilior
rmaciæ, primum praxeos veræ & fidelioris
damenti.

Conpilatæ etiam ex pluribus inconcinnis far-
inibus & ad pompam erectæ officinæ, cum
icere viſæ fuerunt mollibus nimium & ope-
vacuis Medicis, ſtatim hi Pharmacopœorum,
ulorum nempe ſuorum, miniſtri, eorum-
: ludibria, contemtus & riſus facti, igno-
em quandam poſteritatem & progeniem in
em ediderunt, præpoſterâ ſuâ ſcientiæ ima-
ariæ & damnoſæ jactatione fungi inſtar vilis
umeſcentes, nil niſi imaginem ſui abjectis-
am poſteris reliquerunt, quam deteriorem
s doctrinæ imaginariæ cultores dabunt.

Merito autem ſuo, hoc opprobrium, gene-
ores facti Pharmacopœi, ſuis heroum Medi-
um filiis noxis affricare ſolent, & quodam
e debent, quod præſcribendi formulas igno-
t, temerè quidvis congerant, Chaos Medi-
n confundant, intentiones Medicas nullas
cant, periculis omnia plena exhibeant, le-
feras ex ignorantiâ damnosâ congerant po-
nes, doſim & vires remediorum confundant,
achinæ humanæ leges minime intelligentes

verbo

verbo mere Empyrici; de quibus legatur 3. cap. Bohnii de offic: medic:

Hi enim ſunt partus inſcitiæ & Medicorum deſidiæ illegitimi, a præceptoribus abortive ſæpe editi & protruſi, ipſius ſtultitiæ vanæ ſoboles, hæc proles ſervo prudenti dominium dedit in filium ſtultum, ejusque hæreditatem partiri non ſolum conceſſit, ſed eandem diripere ſivit vaniloquus rerum deteſtator.

Corrigere præſcriptas remediorum formulas, ſuccedanea vel quid pro quo ſubſtituere, mentem Medici interpretari, ægrorum ſtatum inquirere, hunc ad medelas tradendas ponderare, levitatemque doctrinæ Medicæ tacitè vel apertè explodere, famam Medici proſtituere familiares & quotidianæ quorundam ſunt operæ.

Hæc ad quantum acceſſerint gradum, unusquisque ſapiens novit, contendere enim cum talibus inglorium, imo periculoſum duco, recepta enim plurium Medicorum evincunt & rubore quosvis etiam cordatos ſuffundunt, cum ſæpius tam enormia, praxi ſolidæ & humanæ ſanitati contraria cernuntur vitia.

Si omnes Medici eſſent Pharmacopœi, ſi & partem ejus, ſecundum eos nobiliſſimam, perſpectam haberent Chemiam, uti inculcant Bohnius l. c. & J. H. Jungken in artis Pharmaceuticæ prolegomenis; Anatomicus, ut vetus habet proverbium, non eſſet infeliciſſimus

Practi-

ticus; Gallenicus non esset Mysochemi-
, nec merus sæpius Empyricus; Botanicus
etabilium notitiam penitiorem, non autem
am superficialem characteristicam exhibe-
; alia non asperneret Chemicus fulcra, Phy-
s Medicus ex ipsâ arte ejusque experien-
sedulâ & judiciosâ suas hauriret & profer-
demonstrationes; Mechanicus, ut nunc
it & volunt, Medicus non talia fingeret
cepta, a quibus ipsa recedit in suo opere
ura; ut unicuique artifici sedulo patet sta-

Practicam ditans Medicinam Chymia, intra
prios consistere debet limites, *quod si ulte-*
excurrat (ut noster censor vult: præf: p: 5.)
ad morborum Theoriam sua accommodet prin-
, ingenia alioquin peracuta in errores agit,
vanâ scientiæ imagine deludit. Ulterius ut
ilem det Chemicis, rogat iracundus irrisor,
ontemtor Chemiæ, Theoriæ & Philoso-
æ, *quid ea in causis morborum rite explican-*
aut symtomatis feliciter curandis præstare
nt principia, quæ ita nulla sunt, ut in animo
sophantium locum fortasse habent, in rerum
en naturâ minime existant? de quibus inter
disciplinæ hujus fautores nondun convenit;
quæ quam doctissime respondit J. C. Barc-
n in exus: princ. Chem. adv. Mathemat.
em vero ait pag. seq. *Chymiam ad Mecha-*

nicas

nicas rationes excultam potiſſimam fore illuſtra-tionem ipſius theoriæ, ſi *penitior ejus ſcientia*, ab Elia Artiſta, (Mechanico absque dubio) for-ſan exſpectanda, (ut volunt quidam Chemici) orbi Medico revelata fuerit.

Hæc divum ſapiunt pythoniſſam, ab orc-faucibus, Mechanicis regulis turgidam, affla-tam, furibundo numine ſuo repletam, ex tri-pode vaticinantem, ſuſpicienda Matheſeos my-ſteria, an venefica dubito, revelantem.

Chemicus praxin ornat & ditat, etiam ad-verſario teſtante, Theoriam malè quonian proponit odio eſt habendus, & intra limite quosdam, ab extraneo quodam coërcendus Me-chanico, cujus verba, inane quid ſpirantia nullas hucusque Medicinæ ſuppetias tulere; imo nunquam ferre poterunt, utut ea aut ad phar-maca paranda, aut ad morbos rite cognoſcen-dos, aut ad motuum declinantium, & ad ſuo fines abſolutâ neceſſitate pergentium doctri-nam, applicentur & detorqueantur, niſi con-trarium ex ipsâ arte & experientiâ demonſtren viri, ſuis in deliciis & campis liberrimis ver-ſantes & exſpatiantes, quod optime de iis annota Verulamius lib. 3. in augm. ſcient. cap. 6.

Demonſtrationes igitur per experientiam, & artem in campum producendæ ſunt, quarum erit prima, *Chemicum* non poſſe remedia pa-rare nova, niſi Machinam humanam noſca ejusqu

usque affectionum cauſas perſpectas habeat, ıibus opitulari debet.

Chemicus enim qui ex aliorum formulis ſua æparat auxilia, inter famulos Chemicorum nuerandus eſt, vel tantum inferiora premere ſubllia poteſt, ex alius imperio & nutu depenrns, adeoque inter generoſiores Chemicos cum poſſidere nequit, uti doctè etiam annovit plurimis locis experientiſſimus & nobilismus Boyle.

Is merito Pharmacopœus vocari poteſt, ut anio in ſuâ arte exaſciatus, etiam jure inteo Anatomici titulo decorari poteſt, & Ruccus hortulanus egregius Botanicus nominari eretur, ſi ſupra vulgus, hortulorum herbas vegetabilia etiam exotica noſcat ſuo nomine tincta, & Empyricus circumforaneus, aut tula, & quidquid eſt talium hominum, morbs feliciter quandoque pellens, Medici nomi- non indignus videtur, præſertim ſi ſit Hipocraticus ut vult Baglivius, unicus enim ſcoss Medicinæ eſt mederi morbis, & vulgus ex entu judicat.

Chemicus remedia morbis pellendis aptiſſia parans, morborum Theoriam aut noſcere bet, aut Theoriam ex ſuis corporum exercis, motibus variis, certisque eorum acquientiis formare potis eſt, eamque ad ea acmmodare debet principia, ex quibus conflantur,

flantur, & in quæ reſolvuntur remedia, quæ ab eo morbis convenientia vel ſanitati inſervientia componuntur: profecto non alio res practica promoveri modo, neque de eâ aliquid certi & firmi pronunciari poterit, niſi auxilia morborum & naturam morbi, ipſi remediorum electionem indicent, utraque operationes mutuas futuras Medico denuncient, niſi quis praxin a Theoriâ gratis diſtinguere velit.

Theoria enim ex praxi, non hæc ex illa ortum ſumſit, ſi per Theoriam Medicam ſcientiam intelligamus, alias propriè Phyſica quædam contemplatio, & inſpectio humanæ Machinæ dicenda, vel ſub Anatomiæ ſtudio habenda & limitanda eſt.

Egemus aëre, quem reſpiramus, cibo & potu, quo reficimur, calore, quo fovemur, excrementa ſunt per vias varias ſuperfluæque aquoſitates ejicienda, mulieres periodis menſtruandæ ſuis creſcunt decreſcuntque, ſanitate quadam imperfecta fruimur, non plane beata vivimus, morbis afficimur & depaſcimur, tandem ſupremus dies obeundus, quæ cuncta norunt hominum viliſſimi, attamen eorum cognitio eos non creat Medicos, & omnis Theoria hiſce vulgariſſimis notionibus ſuperſtructa, a praxi abſtracta tantum tradit, ea nempe quæ nullus neſcit, & fruſtranea erit hæc ſcientia Medica dicenda, niſi eam altius

evehas

evehas ad res minus cognitas, earumque cauſas ſolidas & veras eruere ſtudeas, has operi practico, quod extendendum eſt, admoveas, qui unicus eſt Medicus ſcopus; hunc quomodo Anatomici, Mechanici, Chemici, hactenus propoſuerint, breviter exponam, ut inde concordia docentium & diſcentium appareat diſcors, quæ detrimentum ſcientiis & artibus parit damnoſum.

Anatomici haud minus, quam alii flagrantes honore imperii acquirendi in Medicinâ, quòd ſibi adulentur, & merito quidem, tanquam primi Medicinæ fuerunt cultores, omnia deberi manualibus operationibus volunt, unde ab ipſis primis temporibus, ex ipſis veriſſimè nati Chyrurgi exſtitere antiquiſſimi Medici, & plurimum in Medicis curationibus proſecère, demonſtrationes curioſiſſimas exhibuere in Machinæ humanæ conſtructione variâ, ac earum functionum diſtinctâ demonſtratione, quæ ſolidis partibus ſingulares ſunt, & harum ſubſtratione manifeſtâ per quarundam partium exſtirpationem, taceo immites & crudeles quorundam in vivis hominibus carnificum more operas, Herophili nempe & Eraſiſtrati.

Morbos partibus quibusdam ſolidis quaſi inhærentes, ſolâ etiam per inſtrumenta & cauteria potentialia & actualia exſtirpatione tolli, aliove modo curari non poſſe millies demonſtrant

Chyrurgi, quæ quamvis crudelis videatur cura, attamen ſæpius præſtantiſſima & unica via practica eſt, qua, ad ſanitatem reliquo corpori conciliandam, aut ferociam motus maligni ſiſtendam, itur, cum nulla alia hucusque magis cognita pateat.

Hinc, & ex aph: 6. ſec: 8. Hippocratis natum videtur illud proverbium practicum, hæc ſi non proſunt, puta remedia internè exhibenda, ilicet ure, ſeca, ſcilicet clementiori operi practicæ cum deſint vires, violentiâ majori inſiſtendum eſt, cum morte & jacturâ quarundam partium & functionum quamvis alias neceſſariarum, & exinde Anatomico-Chyrurgicam tantopere extollere ſolent opem, ut vel negligant vel deſpectui habeant reliqua, viri ſæpius plus quam par eſt feroces, immites, crudeles, attamen laudibus in re Medicâ non infimis digniſſimi, quibus non inutilem Mechanicam ſcientiam, ut inſtrumenta ſeligere varie fabricata, ex vario metallo, molli, rigido, flexili, ad operationes varias poſſit, ut & quamvis ipſe non fabricet ea, artificem de iis inſtruere noſcat, rectiſſimè docet experientiſſimus Bohnius de offic: Medic: cap: 22.

Mechanici Matheſeos filii, in Phyſicis plurimum valentes, ipſi naturalium corporum ſcientiæ præeſſe, atque in eam abſolutum exercere dominium, ſummis viribus jam a longiori

ævo, ab ipso, ut prætendunt, Democriti tempore annisi fuere, ut hisce suis deliciis, exspatiationibus atque quibusvis inventionibus, libera etiam ingenia sub suum jugum mitterent.

Hi in quantitate materiæ ponderanda & momento gravium, maxima sua posuere studia, illa enim cum facile separabilis & observabilis esset, ac plurimorum effectuum naturalium causæ hinc conspicerentur, ab ipsis summo ardore, & non contemnendâ prosecuta fuit diligentiâ, eodem modo ut ab Anatomicis partium solidarum munere vario fungentium in nostrâ Machinâ distinctiones.

Neglectæ autem formæ & figuræ magis reconditæ & ipsi materiæ immersæ portiones vecoces, utpote quæ non tantam suarum actionum exhibent evidentiam, nec pari ratione in oculos omnium incurrunt cum suis effectis, qui altius in particularium corporum septis & labyrinthis ut plurimum latitant, unde liberrimâ meditandi & pronunciandi ansâ carere debebant, liberalium artium tales magistri, magnis ausis excidentes.

Totum enim eorum consensum & applausum corruere cernerent, si generalia eorum præcepta revocarentur ad experientiæ lancem, quam nullibi majorem alibi, quam in ipsissimâ illâ materiæ variatione ullus observaverit,

quæ non ſolum ex quantitatis incremento, diminutione & motu ſed potiſſimum ex quibusdam latentibus olim portionibus procedit, nunc ſeſe manifeſtantibus cum figuræ & formæ materiæ alteratione manifeſtâ, quæ aut ipſos fugiunt, aut cum malignitate damnosâ ſilentio alto per eosdem involvuntur, ut ab arduis & pulchris conatibus, mentes & manus nobiliſſimorum naturæ curioſorum deterreant.

Hæc ipſiſſimis ex regulis eorum patent eſſe veriſſima, ubi naturæ opera facillima, nec tantâ rerum inveſtigatione opus eſſe temerarie pronunciant; quamvis hæc opera naturæ dicta, in vigeſimâ aliquando centeſimâ vix obſervationum parte tam levidenſia appareant, etiam in leviſſimis, uti nobis videtur, corporum exercitiis, quod in ipsâ immediate expendenda Emmenologiâ fuſius demonſtrabitur.

Hæc igitur principia notionum Mechanicarum, ſi concedamus aliqua eſſe, attamen illa fere nihil ſunt ad Medicinam vel Theoreticam vel Practicam ſtabiliendam, parum enim iis fidendum ratiociniis Mechanicis Theoreticis, quæ nos ſemper in ipſa praxi deſerunt, nimiumque ſecuros ac otioſos in artium & ſcientiarum promotione nos reddunt.

Gratis enim ſuperficiales quosdam notos eventus quantitatis materiæ integræ aſſumunt, audacter ex hiſce levibus aſſumtis concludunt,

per-

perfrictâ fronte alias cauſas Phyſicas negant, vim illi materiæ motæ & pondus eximium ut qualitatis omnis viciſſitudines egregias inferunt, quæ eadem evidentiâ ſenſus noſtros, etiam indoctiſſimorum hominum omnique Medica arte carentium incurrunt, & eosdem nulla cum utilitate commovent.

Inter ipſos etiam nondum convenit de ipſa materiæ proportionis doctrina, quamvis de ea tam magnificè loquuntur Mathematici, Mechanicique; ut manifeſtiſſimè patet hoc exemplo; pondus nempe aquæ ad pondus mercurii vivi plurimi ut 1 ad 14. ſtatuunt, differt ab hac computatione Boyleus, qui proportionem ſtatuit ut 1 ad $13\frac{3}{4}$ & ex obſervatione Marini Ghetaldi Raguſini, ut 1 ad $13\frac{4}{7}$ ſubtiliſſimâ; quæ licet minima ſit differentia; alterationem phenomænorum maximam ex eorum computatione proferre poteſt; priori igitur incognito de poſteriori minus concludere poterunt homines, in hac re nondum ſecuri: ſed ſemper ad Geometricum illud circum circa recurrere coacti, incertitudinis ſuæ manifeſtiſſima præbebunt argumenta.

Chemici, ad rerum abſtruſarum tentamen & rerum naturalium ſcientiam ditandam intenti, ut loquitur de iis Ramazzinus, per Vul-

canum tanquam alteram naturam celeritate perniciſſimâ inſtructam, Palladem vel ſapientiam quæſivere, ubi celerrimo naturæ curſum itinere perficere ſatagebant, qui ab ipſa naturâ ſibi commiſsâ tardè & quaſi per ambages tantum, longioribus temporum moris exigi poterat.

Hi naturam ipſam divexantes, eam tanquam ſuper incudem efformant, ejusque cauſas in abditis materiæ formis quærunt, indeque productiones effectuum expiſcari ſolent; in profundis puteis & mineris rerum corporearum, perpetuo tanquam in viſceribus naturæ verſari cupiunt, ut inde ſuam ſimul utilem & commodam hauriant doctrinam, interpretationem ſuam ex ipſo opere ſuâque arte depromunt, quam forſan nimis mancam & jejunam ſemper cenſebunt Phyſici, utpote qui præter generales quasdam regulas, ſine exceptione & limitatione depoſitas, vix aliud comprehendunt; Vulcanus enim ex cœlo lapſus claudus evaſit, duram feriens terram quæ illius motui reſiſtebat.

Dubitatio exinde nata eſt, tantæ utilitatis pro ſcientiarum incremento, ut ei ſoli fere debeatur attentio & ſtudioſa admonitio, quæ generoſas ſtimulare ſolet mentes, ad illa ulterius perpendenda, quæ ab aliis leviter & ſicco quaſi pede transmitti ſolent.

De enumeratis & viſis mox exercitiis, dubitationem integerrimam ſibi & aliis Chemici reli-

eliquerunt imo propoſuerunt eandem cum Phyſicis licentiam, eamque ſerio inculcarunt, ut nempe errores vitarent, veritates venarentur, ſilvas & ſepta inirent ardua, interiora terræ riſerent, ſibique theſauros ſcientiarum comparent, non ut alerent dubitationem, & disputandi pruritum foverent, ſed ut dubitationis cauſas perſpectas terminarent & ſolverent.

Principia Chymicorum dubitationis, imo negationis ſunt ſubjecta Mechanicis, (quos ſtrenue refutat Barchuſen) quorum præcepta etiam erronea ſunt, utpote ex tali falſo principio prolata, quoniam eâ in materiâ compoſita latitant, quæ ex materiæ illius nativæ decompoſitione & deſtructione, non autem ex eâdem integrâ produci ſecundum eos poſſunt; ideoque nunc demonſtrandum eſt, principia hæc eſſe ejusdem certitudinis, ac ea, quæ ab ipſis proponuntur.

Ea, quæ in rerum & remediorum ipsâ naturâ exiſtunt, & ſuo acceſſu ſanitatem, morbum, & mortem corporum promovent, non imaginaria eſſe, nec de eorum exiſtentiâ ſerio dubitari poſſe; nemo ſobrius negaverit principia vel Elementa Chemicorum naturaliter, & re ipsâ materiæ inexſtitiſſe, antequam ex eâ per Chemiam eliciantur; ergo non ſunt imaginaria, multo minus nulla, nam nihili nullæ ſunt proprietates, & ex nihilo fit nihil.

Horum principiorum numerus, non eorum exiſtentia in controverſiis verſatur Chemicis, ut & eorum propria figura & moles generalis, ad claſſes & operas univerſaliores revocandâ, in dubio adhuc verſatur, non autem ſpeciales & limitatæ eorum figuræ, moles & quædam operationes ab iis unquam negatæ fuerunt, multo minus lites de iis tantæ fuerunt, quæ exiſtentiam, uſum & commodum talium principiorum omnino tollerent aut ſaltem illud intendere viderentur.

Abuſus quorundam ſyſtematum nimis generalium, uſum tollere nequaquam debet, nam & hac in parte cum Anatomicis & Mechanicis etiam fallunt & falluntur Chymici, ſuperbo nimis greſſu procedentes, quod merito de iis notat veritatum Doctor cautiſſimus Malebranche lib. 2. de inq. verit. ſub finem.

Salem primarium Chemicorum principium adeſſe, & in mundo exiſtere, eum in materiâ latitare, ac ſæpius altius ſubmergi, intimiusque illi immiſceri, quam ut facile permittat divortium, unusquisque novit, & Chemia demonſtrat.

Quid per ſalem intelligant Chemici, apertè ſatis dixere & docuere, nempe illum eſſe corpus figurâ acutâ inſtructum, diviſibilitati maximæ idoneum, ſolubile in igne & aqua, tribus primariis Ariſtotelicorum ſic dictis principiis

piis fluidis, igni, motui & niſui eorum opti-
e & celerrimè obediens, vim ſuam valde
nſibilem, ſuo interventu, velociſſime pro-
ovens in quarto terreno nempe ſolido & mo-
ui reſiſtente, omnia namque corpora citiſſime
gitat, ea ad valida cogens exercitia, quæ aut
ulla aut pauca ex ejus feceſſu vel defectu vi-
untur.

Hunc in ſpiritum converti poſſe ope ætheris
eu cœleſtis & terreſtris ignis, aëris & aquæ
eſe ei artificioſe & naturaliter pro tempore
onjungentium, ibidemque copulam & moram
najorem minoremve permittentium, ſtatuunt
& demonſtrant Chemicorum experientiæ om-
nes; hos ſpiritus ſalinos denuo in ſalia majoris
nolis eſſe convertibiles, variasque figuras,
moles & motus inducere poſſe, diverſis actio-
nibus ulterioribus idoneos, per ſuam operati-
am ſcientiam non meram contemplationem
evincunt, & exinde rerum naturalium jucun-
las ſimul & utiles Metamorphoſes fabricant
entas vel ſubitaneas: quæ opera non ſoli de-
bentur Vulcano ſeu igni terreſtri, non magis
quam reliquorum corporum productiones Vul-
cano ſeu igni cœleſti, una enim eademque
utriusque foci materia eſt, quod patet in fur-
nis, pullorum excluſioni dicatis, & hypocau-
ſtis vegetationi deſtinatis &c.

Tandem ubi ipſa natura demonſtrat, eam

materiam in ſuis operibus eſſe efficaciſſimam, uti ſæpius monui, quæ ſale & ſpiritu velociori & copioſiori gaudet, eam vero quæ iis caret, ad quævis munia obeunda eſſe tardiſſimam, tam intra, quam extra noſtram Machinam, & ex iisdem obſervationibus naturalibus Chemicus edoctus ſua præparat, velocitatis gradu vario inſtructâ aut deſtituta remedia; an hæc & ſimilia *nulla aut phantaſtica dici queunt, in animo talium philoſophantium locum habentia?* ut noſter protrudit.

Ex omnibus erui ſalem corporibus non poſſe, hæc expertus in ſuâ arte concedat Chemicus, attamen illud ſalis exiſtentiæ negationem non evincit, ſed quidem artis impotentiam, quæ ex talibus concretis, hunc denuo expellere ignorat, quamvis revera ibidem arctiori vinculo ligatus hæreat, & illud ſal requiſitum haud adfuiſſe, in ſuo nempe primo ortu illi materiæ nondum ita concretæ, non demonſtrat, quod infinitis exemplis & experimentis evidentiſſimis penitiori Chemiæ ſcientiâ imbutus confirmare poteſt.

De modo & ſalium numero diſputent Chemici, de eorum potentiâ in corpora varia formentent hypotheſes de acido & alcali, de figuræ & molis ſalinæ diverſitate, ut inde naſcatur fixum aut volatile, de acidi naturâ & varietate, de muriaticis dictis ſalibus, & alii nobis

obji-

ciant, quod illa ſalia in ipsâ materiâ talis
ræ & exiſtentiæ non fuerint &c. hæc nihil ad
ombum faciunt, nempe an exiſtant nec ne,
a propriè & generaliter ita nominanda.
Illud imprimis examini rigido ſubjiciendum
, an ex tali particularium inveſtigatione,
an ex ſalium & ſpirituum materiam affi-
ntium exactiori notione, leges ipſius natu-
quodammodo proponi & intelligi poſſint,
m quadam ſolenni & conſpicuâ in operibus
teriæ ac in naturalibus operibus limitatione?
od affirmant Chemici, an vero hæc nimis
guſta & humilia ſunt, quam ut noſtrum
edicum & Phyſicum in talibus teratur tem-
s, quod exſpatiatione ad magis generalia &
ius mentis circa materiæ ſeparabilis quanti-
em verſantis contemplatione, multo jucun-
s tranſigitur, magis ſatisfaciens plerorum-
e hodiernis ingeniis & ſtudiis liberioribus,
erito dubitant plurimi, affirmant noſtri Me-
anici, negant imo pernegant Practici &
nemici.

Fructus, uſus & commoda ex utraque illa
ethodo provenientia, in plano eſſent locan-
, ut exinde non de ordine, nec de digni-
e eſſet controverſia, ſed de valore ſtudii, ex
naturæ & illius opere cum fulgore prælu-
ntis.

Chemia ad rationes Mechanicas exarata,

(*quod*

(*quod* ſecundum auctorem *aliquando poſſe non deſperandum eſt*) tales nempe quales luxuriantia Mechanicorum hodiernorum volunt præcepta, an validior majorisque fiduciæ eſſet, & ampliorem lucem Theoriæ adferret, merito, meo quidem, ſalvo doctiorum judicio, dubitare liceret, nam ea vix unquam ita comprehendi poſſe, ſub illis generalibus regulis abſolute doctiores Practici & in Chemicis verſatiſſimi ubivis demonſtrant, imo haſce & ſimiles doctrinas ad deſidiam potius, quam ad diligentiam ſtimulare artifices ſæpiſſime proponunt & ſerio monent.

Hæc quamdiu nondum ventilata & rite diſcuſſa fuerint, jure proprio & naturali, quidquid de ſuis glorientur Mechanici poſtulatis & propoſitionibus Geometricis, illarum abuſum & impotentiam exhibere & in lucem proferre non ceſſabunt Chemici, ſuisque particularibus in ſeptis, ſylvis, fodinis, fornacibus, ignibus, ſalibus contenti vivent, & nunquam deſiſtent bene agere, lætari, utilitatem generis humani promovere, jucunda ſeriis intermiſcere, eaque conferre omnia, quæ ſcientiæ humanæ limites anguſtos modeſte extendere poſſunt.

Chemicus igitur debet, nec alio modo procedere poteſt, in ſuâ doctrinâ Theoreticâ, quam ex nocentibus & juvantibus remediis, ex

motu

ɔtu & quiete corporum, ac eorundem alte-
tione & corruptione, per experientias de-
ɔnſtratâ, ex doſi & viribus unorum eorun-
mque remediorum toto cœlo variantibus, in
verſis ſanis & ægris imo ex affectione ipſius
achinæ humanæ tantopere diſcrepante ſecun-
ım omnes illius facultates, & functiones
ıas facile non crediderit homo naturæ igna-
s, vel ejusdem ſuperficialis contemplator,
ſi harum apparitionum cauſas per Chemiam
veſtiget; quidvis audeat & velit homo ſo-
rs, donec eas reperiat & proponat, imme-
ıate has ad uſum ipſum conferat, eosdem fi-
es levi ex acceſſu vel ſeceſſu portionum ma-
rıæ obtineat, qualitatis modificationes in ip-
ıus quantitatis materiæ ponderatione proſequa-
ır, an tunc *ingenia alioquin peracuta in erro-
rs agit*? an *vana ſcientiæ imagine deludit*? ju-
ıcent hoc omnes veritatum & rerum natura-
ıum Ruſpatores æqui.

Verum eſt, principia Chemicorum non tol-
ere ſymptomata, nec morbos feliciter curare,
ed res aut remedia a Chemicis parata illud ef-
ectum ſortiuntur, & hoc ſufficit, ſed an un-
uam Geometricæ & Mechanicæ regulæ mor-
os ne latum quidem unguem recedere coëge-
unt? profecto minime, garrire igitur Mecha-
ıici, res præſtare Chemici docent; ſed ne lon-
ius quam par ſit præfatiunculæ huic me oppo-

nam,

nam, ad ipſum Emmenologiæ opus me converto.

In ipſo libri exordio ſuam Arithmetices peritiam oſtendens, vulgatiſſimam amplectendo ſententiam menſium *ſecundo ſeptenario exordium, & terminum* ſeptimo *ſive numeri ſeptenarii quadrato* aſſignat: cavens, cum magnâ Medicorum turbâ, ſibi optimè per vocabulum *communiter*, quia forſan ex obſervationum fæminarum menſtruantium centuriâ, triginta ad illud tempus menſtruationis pervenientes obſervantur, plerisque enim ab anno quadrageſimo ad quadrageſimum quintum ſubſiſtunt, quod miror non obſervatum fuiſſe a Practicis; Joh: Frid: Ordlop: diſſert: 19. & F: Hildanus cent: 2. obſ: 61. noſtræ partim & communi Medicorum ſententiæ ſimul favent, terminum menſium ab anno ætatis quadrageſimo quinto ad quinquageſimum ſtatuentes, aliquæ ſed rarius ad hoc tempus hiſce detinentur fluxibus, pleræque intra annum quadrageſimum illos absque omni ſanitatis noxâ terminant.

Ut præciſum determinetur inchoantium menſtruorum tempus, impoſſibile mihi, & Ordlob: c: l: nobis accedere ex parte videtur; nam pubertas a quâ illum deducunt Medici, certo & conſtanti tempore non effloreſcit & rariſſime ſecundo ſeptenario contingit, ſed ab duodecimo anno ad vigeſimum communiſſima

ſunt

nt tempora, etiam absque ullo fæminarum commodo, si nulla alia subsint vitia, quæ a erisque Medicis, hisce temporibus defectui t futuro menstruorum motui assignantur, aximâ sæpius cum conjecturâ.

Plurimæ etiam dantur puellæ ex humorum nuium ferocia, & tenella solidi vasis menruantis structurâ, ante duodecimum annum enstruantes, imo exempla varia observata erunt a Medicis menstruationum per aliquot enses continuatarum in infantibus, ab ipso tivitatis die a Kerckring: obs: 87. & Bourisâ de obstet: l. 2. c. 5. Bohnius de offic. ed: p: 417. cujus unicum nos exemplum vimus; & duorum, trium, quatuor, sex, octo, vem annorum, quarum exempla habent rnelius, Tulpius lib. 3. obs. 36. M. A. N. . ann. 9. & 10. obs. 28. aliique plurimi; imæus lib. 4. cap. 13. satis autem obveniunt enstrua, fluidiori existente corpore, ab anno no ad duodecimum continuanda ut alia tarori tempore nata, quod fateri debet Bohus, quamvis eruptionem communiter statuit no decimo quarto prog: 16. Cir: Anat.

Fæminæ non menstruantes plures observatæ nt ab Hildano cent. 5. obs. 41. & auctoris ab J: Broen Theor: Med: §. 285. allega:, Sennerto præsertim lib. prax. 4. p. 2. s. 2. 1. quæst. 1. admodum vegetæ & robustæ & pluri-

plurimæ aliæ in dies obveniunt, quæ ante trigeſimum ætatis ſuæ annum omni menſium fluxu liberatæ, ſine ullo ſanitatis detrimento, degunt; imo in nonnullis fæminis ultra conſuetum terminum motus menſtruus extenditur ad annum ſeptuageſimum & octuageſimum ſanitate conſtanti, conteſtantibus Hildano cent: 2. obſ: 61. J: Frid: Ordlop: diſſ: 19. Sennerto. l. c. cap. 1. aliisque: ex hiſce igitur infero quod nihil certi determinare hac in parte poſſit homo non ultra naturam ſapiens, niſi velit eſſe audaculus & temerarius.

Demiror autem Geometras & Mechanicos, illis ut plurimum, *circum circa & communiter*, uti verbis, quæ eorum præcepta non ab omni parte vera eſſe deſignant, cur igitur tam ſeveri aliorum minus forſan errantium cenſores ſeſe ſiſtunt?

Quantitatem menſtrui ſanguinis, qui excernitur, variam in diverſis ſubjectis ſtatuunt veteres cum neotericis, nec pondus exactum, ob rei incertitudinem, ipſi aſſignare plurimi audent, Hier: Capivaccius tamen lib. 4. cap. 2. de affect: uteri; & Sennertus lib: 4. prax: p. 2. ſ. 2. c. 1. cum quo Auctor noſter convenit, ex Hippocrate docent, effluentis ſanguinis eſſe ad *duas Heminas*, cujus menſuræ cum magna ſit diverſitas, pro rerum menſurandarum diverſitate, *continet* enim teſte eodem Sennerto

lib.

lib. inſt. Medic. 5. p. 3. ſ. 1. c. 4. *Cyathos ſex; pondere vero olei uncias* 11, *vini vel aquæ* 10, *mellis* 13 *cum hemiſy*, & ſanguinis menſtrui ſecundum hunc loco ſuperius citato, *Sesqui libram vel duas fere libras* & ſecundum auctorem noſtrum *uncias viginti in ſanis & adultis*, dicentem ulterius hoc pondus convenire Hippocratis menſuræ duarum heminarum, qua auctoritate hæc conjectura nititur ignoro, forſan hæc ex antro Trophonii prodiit.

Quis enim ſanguinem hunc recipere purum, & ponderare vel menſurare poterit? an in quibusdam inſtrumentis nihil inbibentibus exceptum? an per calorem, urinam &c. nihil conſumtum de ponderis etiam maximâ parte fuit? an rationes temperamentorum, victus & ætatis, tam exacte trutinatæ fuere, ut in medio tutiſſimus ire potuerit hic Mechanicus?

Quid etiam per temperamentum intelligat, majori egeret inquiſitione & ætiologias illius aut hujus temperiei tradere deberet, nam temperamentum æque, & magis phantaſticum eſt verbum, quam Elementum aut Chemicorum principium.

Si per temperamentum, quædam materiæ portiones diverſæ figuræ & molis unam tamen externam formam conſtituentes, nobis intelligendæ ſunt, quæ relationem ad varia motus & quietis accidentia habent, illas enumerare de-

buiſſet, ut illarum portionum & totius materiæ qualitatem noſceremus; alias in meris verbis hæremus, vel ad occultam qualitatem denuo confugere neceſſum erit.

Si per temperamentum intelligat materiæ quantitatem, & ejusdem qualitatis ſeparabilitatem, quæſo demonſtret, unde nam illa quantitas in hac major, in illâ minor exurgat eodem tempore, in aliâ eadem maneat, in iſtâ decreſcat &c. dein ſubjungat ſeparabilitatis facilis, difficilis, negatæ nimiæ rationes, tunc enim rem ipſam rebus illuſtrabit, quas ſi ignorat; ex Praxi & Chemiâ diſcat.

Pondus menſtrui ſanguinis ab unciâ unâ, alterâve in maxime ſanis aſcendit ut plurimum ad libras tres quatuorque, ſi ulla fides externis adhibenda, nam certi aliquid hic pronunciare nemo poterit, niſi primo ſanitatis perfectioris ſtatum traderet, & reliqua ad morbos menſtrua viginti unciarum pondere minora aut majora releget, quod impoſſibile ſtatuimus, & mere ex unius Medici docentis arbitrio, vel ex ſtatu unius vel alterius mulierculæ dependeret, ſed in demonſtrationem liquidam nunquam caderet.

Auctoritas Hippocratis nullius hic eſt ponderis, ille enim non magis de ſanguinis illius quantitate pronunciare poterit, quam Medicus hodiernus, ſi enim talibus vetulis ſententiis

ſecurè

ecurè indormire liceat, verſiculus etiam vale-
it hic & ubique

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna re-
urgat.

Hippocrates in calidâ regione praxin exer-
ens, de illis forſan regulari magis ſtatu præ-
itis menſtruis, ex mulierculis ſedentariæ ni-
isque tranquillæ & domeſticæ vitæ per vim
editis, ac à nimium Zelotypis illarum maritis
olygamiam foventibus, aliquid inquirere po-
uit; quamvis hæc inquiſitio difficultate ſuâ
aud caruerit, ſed hæc non ita de noſtris nec
m otioſis, nec ſolem tam anxiè fugientibus,
firmare, ullus ſobrius poterit, multo minus,
cout ex Galleno ſtatuit Auctor, eas labo-
oſas minus menſtruare debere, quod totali-
r veritati contrariatur.

Notat porro pag. 1. *menſtruum humorem in*
alitate valde differre, dicitque *ad lympham*
ppius quam ad ſanguinem accedere, quem flu-
m ſubalbidum vocare fluorem album non vult
g. 115. qui in ſaniſſimis hanc operam præ-
dit, & eos menſtruos fluxus ſequitur.

Inquiſitio qualitatum, quæ humorem men-
uum alterant, eſt unicum praxeos funda-
ntum, ex quo de motu vario aliquid certi
urire poterit, cui, cum largiori, parciori,
: depravato, Medicus ſuccurrere cogitur,
tim portiones remediorum materiæ vitiatæ

opitulandæ eligere poterit, & illi qualitati adaptare, quod alias fieri non posset, nisi calleret remediâ & qualitates illas vitiatas, quantitati naturali statutis temporibus deponendæ adversantes. Ex. Gr. mulier nimis menstruans, debilitari in suo motu debet; ex nimia humorum liquiditate, per aqueos potus, per acidiuscula quævis, fluidiores materiæ portiones retardantia, per terrestria independentiam illarum intercipientia, impetum & nisum earundem gravem, in partes solidas enervantia.

Si enim lentius aut non fluant menses, invocantur omnia, quæ tenuibus & velocibus scatent portionibus, quæ motum & liquiditatem materiæ crassæ adaugent, ut sunt ea, quæ vocantur cephalica, cardiaca, uterina, stomachica, spirituosa, qualia sunt verticillatæ tetraspermæ omnes & plurimæ umbelliferæ &c. si depravatam possideant qualitatem, ad pondus non respicit Medicus, sed ad correctoria illius malignæ portionis in materiâ hærentis confugit, atque cathartica, alexipharmaca oleosa, muriatica, diuretica &c. adhibet, ut saltem portionem illam abigat, vel eandem aliam ad formam cogat, interventu talium adversantium peregrinæ & corruptæ qualitati humorum, a statu naturali longissimè recedentium.

Quamvis concedat corruptelam hujus sanguinis, ad tantum depravationis gradum posse pertin-

pertingere, *ut pene inter venena referendus ſit*, quod plurimi veteres & Helmontius tract. lun. rib. illi omni, & Avicenna tertiæ illius parti affrixere, attamen noſter, ne ſuam corrumpat Mechanicen, illud removere vult pergens p. 2. *hoc non proprio ipſius vitio deberi, ſed admixtis ſordibus, & aliunde ducto contagio.*

Æternæ ſunt leges, materiam quamcumque in eodem ſtatu permanere, donec ab eo per aliam deturbetur, quod ſemper fit ex acceſſu alius materiæ, vel ex jacturâ quadam neceſſariæ & legitimæ materiæ, ſtatum naturalem immutantis: vegetatio, alteratio, corruptio, nunquam propriâ virtute aut vitio corporis illius fit, ſed admixtis quibusdam & aliunde ductis portionibus, huic ſcopo inſervientibus, ergo quæcumque accidentia motuum materiæ, cuiuscumque etiam ſanguinis menſtrui, extraneis quibusdam adminiculis, quæ hanc ita diſpoſunt materiam, debentur.

Vulgariſſimum eſt plerasque puellas viro naturas hircum olere, & menſtruantes magis olere ſive fœtere, id eſt effluvia emittere inconſueta & male olentia, ex diaphoreſi auctâ, ut notat contra Galleni ſententiam Bohnius Cir: Anat: prog: 16, quæ ſecundum notiſſimas noſtrarum muliercularum opiniones, noxia, pluribus aliis corporibus edere ſolent effecta, adeoque a quibusdam Chyrurgis a vulnerum

curatione arcentur, & ſe ipſas a præparatione butiri, caſei, carnis ſaliendæ, aliisque eduliis conſervationi longiori deſtinatis, abſtinent; nam & ipſæ illæ ſtudentes munditiei & conſervationi integerrimæ, ſui ipſius conſciæ, à talibus abhorrent.

Hæc multum recedunt ab illa infami & inhoneſta expreſſione pag: 4. *ubi ſanguinem menſtruum in ſanis optimum eſſe, & fragrantiſſimum ſtatuit*; forſan iis fragrantia hæc arridet, quibus disquiſitio menſium jucunda eſt, & ſalacitas nimia ad venereos amplexus perpetuo incitat, ex ſalinâ hac exhalatione, eo magis ſtimulandi, prout oleum igni accedens flammæ ſulphureæ incitamentum nobile exiſtit; tacco effecta, quæ ab auctoribus variis circa internum ejus uſum memorantur; neque inquiram, an inter ſic dicta philtra ſit referendus cum horum notitia Medicis non admodum competat.

Nullibi enim hoc effluvium, mulieris menſtruantis atmosphæram noſtram ſaturans, fragrantiâ inſtructum apparet, niſi cum ſilveſtribus Promontorii Bonæ ſpei incolis, fimos, inteſtina animalium, aliaque ſordida brutorum excrementa graveolentia inter epulas ipſius miſcenda, pro deliciis habeat, ipſi tunc ſua ſtet ſententia. &c.

Sed mittamus hæc & cum ipſo pergamus ad alia;

lia; admodum Chemicis & fermentorum pa-
onis favere videtur ubi ibid. cum Dureto
otat *ſalaces magis menſtruari*, *aliquando*, imo
lerumque *absque ſanitatis noxâ*, cum perma-
et enim ſalax ſtimulus, etiam poſt finitam
enſtruationem non deficiens, quamvis idem
i plurimis obſervatur ſalacitate valde deſtitu-
s, cujus exemplum vid. apud Pannarollum
ent. 2. obſ. 41.

Hæc enim obſervatio evincit, fluidorum
umorum liquiditatem & progreſſum, deberi
iidam portioni ſpirituoſæ particularum mate-
æ magis immerſarum, quæ corporum ſolido-
im momenta ad majores actus ſollicitat &
omovet, ita ut hæc niſui illi minus reſiſtant.

Eadem ſæpius valet ratio, in corruptis &
pravatis menſtruis, ubi ex talium particula-
im copiâ, quæ vehementius in obſtantia va-
illidunt, menſtruatio prodigioſa abſolvitur,
rans aliquando ad octo, decem, duodecim,
atuordecim dies, illud etiam notante Sennerto
c. cit. ſingulis menſibus, quod haud rarum eſt
ſalacibus & corruptis humoribus ſcorbuticis
ribus; conteſtante & admonente illud Etmul-
ro tom. 1. p. 166. b.

Circumſcriptio termini menſium ad triduum,
vult cum plurimis Medicis auctor pag. 2.
lax & erronea eſt, nullibi enim magis va-
bunda eſt in ſuo opere natura, absque ſen-

ſibili quadam ſanitatis vacillatione in mulierculis, niſi quæ vulgariſſima illis eſt hiſce temporum eorum periodis magis minusve protractis, ut omnes nobiliorum & ſeniorum Medicorum obſervationes teſtantur, illud igitur *verbum plerumque* additum hic, & alibi neceſſarium eſt Mechanicis refugium.

Animadverſiones circa inſtantem fluxum, æque ficulneæ ſunt, ac reliquæ paſſim traditæ, & tradendæ, nam hæc non ſolum *in puellis nondum purgatis* locum habent aut non obſervabiles ſunt in aliquibus, ſed ſemper & in toto ſuæ vitæ menſtruantis curriculo adeſſe, vel partim abeſſe ſolent, etiam in vetulis, prout ex examine talium fæminarum ſemper liquet: ſigna enim huc allata, *dolor nempe & æſtus, partium vicinarum* &c. tam frequentia & vulgariſſima eſſe ſolent, ut rariſſimum, imo extraordinarium ſit hæc abeſſe, forſan vigeſima inter fæminas menſtruantes eis ſignis carere poterunt.

Eadem illa ſigna ſufficienter arguunt motus quosdam præcedere inteſtinos, qui ſub fermentationis vocabulum apud ſcriptores obveniunt, qui ipſum ſanguinem inſolito more diſponunt, ut recte notant Schookius de fermentatione pag: m: 491. Charleton de cauſ. Catam. cap. 7. aliique pro fermento vel æſtu ſtantes, antequam ordinaria ſuccedat menſtruatio; ſanguinis

s tamen pars mere rubra, utpote magis soli-
a & constans, non vehementer alterari debet,
uod non nisi cum sanitatis integræ periculo
eri possit, sed pars ejus serosa & lymphatica
agis huic parere motui cogitur, utpote in-
onstantior & facilius illi motui cedens & hinc
udatus Charleton cap: cit. *menstruum fluxum*
b æstu & effervescentiâ serosæ materiæ &c. con-
tari recte pronunciat. confer Etmullerum tom.
. p. 165. & 166.

Hoc patet ex pallore faciei, & alimento-
um & medicamentorum ingestorum perversâ
el nimiâ actione, unde mensibus instantibus
el apparentibus prudentiores ab omni reme-
iorum abstinent usu, ne ventriculus turbetur,
lterioresve turbas aut motuum deviationes cor-
ori jam laboranti procurent.

Hæc sanguinis pleonasmo deberi, vel ex eo
osse derivari, absolute falsum cum Etmulle-
o & Kergero statuimus, nam talia opera lym-
hæ, spiritibus dictis animalibus, bili, semini
urgenti adscribenda sunt, ut & sero tanquam
magis cum præcedentibus consentaneo:

Ex illo motu lymphæ acrioris, portiones
massæ sanguinis liquidiores & simul rigidæ,
uique juris factæ, partim rubram sanguinis
artem invadunt & occupant, eamque rarefa-
iunt; partim in fibras & tunicas glandularum,
orumque ductuum minus resistentium arietant,

illos referant, dilatant, vi ſibi vias parant, & ſimul tandem effluunt.

Pro menſurâ ac ſimilium corpuſculorum ſpiritualium ſalacium, aut bilioſorum dictorum, parum enim hæc diſcrepant, copiâ, procedunt in pondere, tempore, vel duratione &c. deficiunt hæ menſtruationes, quod recte contra plethoram notat Etmullerus loc. cit. & tom. 2. p. 1011. b.

Regionum calor & frigus huic patrocinantur ſententiæ, quoniam vigor aut debilitas actionis ſpiritualis ſalinæ, motusque inteſtini promotio languida vel celeris, ex eodem fonte prodeunt, quamvis regula ab auctore pag. 3. ventilata vix, niſi cum grano ſalis recipienda, tamdiu ſaltem in ſuſpenſo habenda eſt, quamdiu Lapponum fæminas non demonſtraverit tardas, languidas, & paucas eſſe in ſuâ menſtruatione, ut ſubindicare videtur, p. 44. Indas & ſub Zonis torridis habitantes, ex contrario res ſuas obtinere, cum libratione juſtâ & Geometrico-Mechanicâ.

Imprægnatas & lactantes ſemper deficere in menſtruatione falſiſſimum eſt, plurimæ enim ad ultima usque partis inſtantis tempora, hoſce patiuntur fluxus, vid. M. A. N. C. anno 9. & 10. obſ. 28. perſtante matris & fœtus integerrimâ ſanitate, adeoqne falſus eſt Hippocratis Aph. 60. ſ. 5. imo aliquæ menſtruis ſup-

preſſis

ssis detentæ præter morem vulgarem, tunc non ante hæc admittunt, postquam impræatæ fuerint, ut mihi retulere viri in re Meca versatissimi.

Lactantes quod attinet illæ possunt iisdem otibus periodicis menstruare, quam non lantes, si lymphæ aëris copiâ vel defectus ad-, in hoc copia fluoris albi in locum menuationis sanguineæ sæpe succedit, non possum n hic raram lactantis menstruo fluxu deten- Plateri observationem inferere, cui nempe enses periodicè fluebant quoties lactaret puel-, suppressis iisdem cum pueros lactaret.

Morbo & chronico & diuturno laborantes n semper in menstruatione deficiunt, ut auor p. 3. & 45. ex tardo & difficili illius reessu subindicat; verum eâ sæpius abundant ut Etmullero jam notatum, vel more naturali inuuntur, perseverante attamen morbo, quod ntestatur B. Ramazzinus de morb. artif. p. 0. *mihi* inquit *certe non semel, nec sine mag- admiratione observare licuit, mulieres diutur- morbis confectas & ad marasmum fere dectas, ac præcipue nobilem Monialem per decenum in lecto decumbentem prorsus exhaustam, i quolibet mense, statis diebus menses quamvis satis modicâ quantitate & ad paucas stillas, parent.* hactenus Vir Clarissimus, Ego autm aliquas in meâ praxi observavi pertinacio-

ribus

ribus morbis detentas, imo quæ ex menſes pellentibus remediis ſe peſſimè haberent, quamvis paucior, ut mihi hinc apparebat eſſet fluxus periodicè recurrens, ita ut abſtinere a talibus remediis ſpirituum actionem acceleranti-bus cogerer.

Quid gulæ abuſus ad hoſce fluxus faciat ignoro, ſaltem nunquam vidi, alimenta copioſius aſſumta has copioſiores reddere, niſi forte inter ea numerat piperata, ſalita, vina generoſa, verbo victum acrem ut notat ipſe p. 62. &c. imo obeſiores citius menſtruum terminum abſolvere ut auctor. p. 3. & Sennertus lib. prax. 4. part. 2. ſ. 2. cap. 1. volunt, nunquam obſervavi, nec pauperes tenui victu vitam ſuſtentantes, verum etiam macerrimas abundantiſſime profluvia illa admittere proruentia ſæpius mihi obſervare licuit & Practici teſtantur.

De quantitate ſanguinis dimittendi augeſcente pro ætate & decreſcente, audacter absque experientiâ ſuâ pronunciat p. 3. commenta Mechanica, neque opus eſt, ut illa operoſe refellantur, permanet enim ſemel recepta quantitas ponderis, eaque ſæpiſſime augetur & acceleratur apud vetulas, multum autem huic quantitati accedit aut decedit ex animi pathematibus, quæ celerrime huic alterandæ conferunt, ipſamque qualitatem in temporis momento ſubvertunt,

ertunt, ut patet ex inopinato gaudio, triſti-
â, odio, amore &c. inſtante vel exiſtente
uliercularum menſtruatione, hoc enim adeo
ulgare eſt in morborum mulierum hiſtoriâ ex
arum ore hauſtâ, ut probatione non indi-
ant.

Tenuior ut plurimum ſanguis in junioribus,
b ſeri & lymphæ tenuitatem & redundantiam,
uam in ſenioribus ob craſſitiem & defectum
jusdem eſt, ut & motus inteſtini validio-
es debilitantur eo tempore, functionesque ſo-
darum & induratarum partium languidiores
xiſtunt, minus quam par eſt attenuantium &
onquaſſantium humores: confer Dolæum En-
iclop. Med: cap: de menſt.

Errores igitur primis hiſce pagellis commiſſi
b Auctore tot ſunt, ut nihil aliud quam fœtus
rroneos, tali conjecturæ falſitatis & labili fun-
lamento ſuperſtructos, gignere poſſint. Qua-
ia ſint quæ ad hanc exarantur normam habe-
is in hac Epitome ſententiæ illius ſcripto-
ris quam circa menſium, ſaltem hiſtoriam na-
turalem, lectoribus obtrudere in poſterum cona
bitur.

Materiam, quæ ſagaciſſima præteriti ſeculi
& noſtri ævi ingenia, (ante hac enim Galleni
Medicinæ Dictatoris ſupremi contenta dictis,
non niſi de eorum interpretatione ſollicita e-
rant) delaſſavit, ubi viri exaſciatiſſimi menſtrui

ſangui-

ſanguinis, cauſam finalem quam vocant perſtringere voluerunt. Hanc Auctor noſter hoc tractatu recoquit, ne quæſo tamen Lector B: exſpecta argumenta exactius pertractata, quam ab omni tempore ventilata fuerunt, catalogum enim librorum & locorum communium ſi tradere animus eſſet, brevitatis propoſitæ terminos multum excederet hæc diſſertatio.

Proprie igitur an mulieres aptitudinem concipiendi ex menſtruatione acquirant, eaque an illi operi unice ſit deſtinata, ambiguum mihi cum Auctore noſtro p. 4. & 45. aliisque eſt, nam plurimæ concipiunt, nullis præcedentibus menſtruis, ut notat p. 4. ex Hildano, Boneto, Sennerto, quibus conſentientes habeo Pannarollum, Bohnium, Ordlob. loc. modo cit. ego porro novi fæminam, cui jam ante Matrimonium ſuppreſſa erant menſtrua, quæ nilominus tamen nupta viro, tres liberos, ſucceſſivis vicibus peperit, imo quod notandum, nullo vel pauciſſimo vix ad unciam aſcendentium lochiorum fluxu, in partu ſolum apparente.

Credibile autem eſt, hoſce motus accelerare conceptionem & facilitare, etiam teſte noſtro p. 45. plurimas enim eo tempore potiſſimum concipere admodum probabile eſt, quo motus illi exiſtunt aut inchoant inteſtini, inſtante nempe menſtruationis tempore, utpote

gis aptis redditis ad majores exoſculationes
rituum ſui juris exiſtentium, ac in ſe petu-
tius agentium, unde colliquatio quædam
ctior particularum fluidorum ova fæminea
euntium & fœtificantium emergit, confer
n his Etmullerum tom. 1. p. 166. & Welt-
ium de generat. cap. 5. hæc ulterius confir-
nt bruta, prurienti humore titillante & la-
ente vulvam, (ſit venia verbis) prolifica-
nis celerrimæ viſibili cauſa, œſtro vero vene-
, tam ad coitum incitante, quam ad im-
gnationem ſtimulante, quæ in languidiori
rinorum humorum ſtatu difficilior eſt.

Hinc igitur concludo, menſtruationem pro-
illi effectui ingravidationis non inſervire,
humoris lymphatici præcedentem motum,
d ulterius confirmat vaſorum ſeminalium
eſſarius, non vero tantus ut plurimi volunt
guineorum uſus, in copulatione maris &
inæ; eorumque ſalacitas, quæ fertilitati egre-
inſervit, promovenda per hos motus, fri-
nes, titillationes, in quibus ſanguis per
uviorum tenuium conſenſum, ſuos patitur
is, huic tamen ſententiæ non obſtat, quod
edam citra libidinis voluptatem & oblecta-
ntum concipiunt, quas vidiſſe ſe teſtatur
l. Bonaciolus Ferrarienſis de fœt: format:
. 2. m. pag. 35. nam de rarius contingen-

tibus

tibus non eſt argumentandum, neque hypoteſis formanda.

Menſtrua nutrimentum embryoni præbere, per conceptum ſuppreſſa, ex Galleno defendit auctor de rejectis autem lis, hac in re nulla moveri poteſt, ex falſa hypoteſi de anaſtomoſeos inter uterina & umbilicalia vaſa exiſtentiâ, quæ nondum in arteriis & venis ullis demonſtrata eſt.

Fœtum a Matre nutrimentum obtinere, ſaltem cum utero quaſi per Gomphoſin annexus eſt, veriſſimum eſt, ſed an ipſiſſimus ſanguis de quo quæritur, a matre ad fœtum fluat non ſine ratione cum Entio, Whartonio, Charletonio, Anatomicis celeberrimis & Profeſſore Anatomiæ ſagaciſſimo præceptore noſtro colendo G. Bidloo, in dubium voco, quem decantatam vaſorum uterinorum & umbilicalium anaſtomoſin diligentiſſime & armatis omnium adſtantium oculis inquirentem in vaccinis ſubjectis ſæpius vidimus, quod experimentum deinde poſtmodum reiteravi, ſed nunquam me ullam vaſorum quorumvis connectionem videre potuiſſe fateor, etiam armatis oculis, quod ſi cum experientiſſimis viris erravero erroris indicia demonſtrent adverſarii, hæc ſaltem ex noſtro Æd. Chriſt. Alumno non patent, nam *quod vena umbilicalis arterias matris hypogaſtricas penetret, arteriæ vero umbilicales venis matris inſerantur*; atque adeo *per hos* aditus *perennis*

nis inter fœtum & matrem agitetur ſanguinis circuitus, ut auctor p. 5. & 6. ſupponit, demonſtrandum erat, antequam aliquid huic hypoteſi ſuperſtrui poſſit., huic paragrapho ſubnecte cap. 4. Charletoni de Cauſ. Catamenior. ibidem enim fuſius hæc argumenta pertractantur.

Si enim ſanguis menſtruus pro nutritione fœtus neceſſarius eſſet, cur brutis quæſo conſuluiſſet natura melius, quam hominibus, illa enim absque ſordido illo profluvio, ſi ſimiam excipias, ſubſiſtunt, imprægnantur & ſuos nutriunt fœtus; dein, ſi nutritio inde penderet, omnes imprægnatæ mulieres more ſolito menſtruantes nunquam vivos edere poſſent partus, quod tamen multifariæ experientiæ & Medicæ hiſtoriæ repugnat; cum ſaniſſimæ menſtruantes per imprægnationem ſanos enituntur fœtus, quos miſeros aut mortuos in lucem mittunt menſtruis ſuppreſſis, nec ſufficit ad hæc reſpondiſſe, quod imprægnationis tempore fluentes menſes *ſine abortu ex ſola vagina dimittantur, non ex utero niſi cum abortu*, uti auctor ſtatuit p. 28. & 29. ſed poſtmodum ſum demonſtraturus vaginam uteri convenientiſſimam menſtruum ſanguinem effundendi & præcipuam ſi non unicam eſſe partem, in præſentiarum vero ad alia, mea ſe dirigit meditatio.

Sententiam de ponderis menſtrui ſanguinis

ſupputatione, ad fœtum utero materno incluſum nutriendum, pag. 6. ventilatam, nullius ponderis eſſe, quin imo plane commentam ex ſuperioribus colligere eſt, ſi vero Auctoris hypoteſis & data, quæ gratis aſſumit, ſuo ſtarent talo & conſtans eſſet veritas propoſitionis primæ (viis & modo conceſſis) nempe quod ſanguinis menſtrui quantitas ſit viginti unciarum, & per conſequens totius ingravidationis novem menſium ſit lib: 15. quod pernegatur: hæc quantitas etſi concederetur, quænam proportio inter primos, ſecundos, & tertios eſſet ternarios menſium hoſpitii illius, primo tenerrimi, dein grandioris? forſan in reſervatorio quodam amandatus & detentus ſanguis poſthac ad ſuos uſus grandeſcenti fœtui accedet; nam ex calculo auctoris ſingulo die ad fœtum flueret a matre ſuperflui ſanguinis quantitas ſcrupulorum 16, quæ nimia primis menſibus fœtui membranis cum placentâ adhuc exiguis aſſimilari non poteſt, & ultimis non ſufficiens grandiori fœtui, jam prope accedentis ad pondus librar: 12. nam *hoc medium fœtus recentis pondus eſt* teſte ipſo auctore, inſuper notandum, quod ovum ad minimum per 14 dies per ſe ſubſiſtit, tranſeundo per tubas fallopianas & fluctuatione in utero, quibus denique, ut multa taceam, accedit, quod ſanguis nunquam ita defæcatus ſit, ut media ejus pars in nutri-

mentum

mentum ſolidum abire poſſit, ſcatet enim ſuis traſſamentis & globulis rubris, qui in ſtatu ſano nunquam ſanguifera deſerunt, etiam in quavis ſecretione, vaſa.

Poſt hanc computationem, ſe adeo felicem & ab omni objectione liberum judicat, ut a Galleni ſententiâ ne quidquam recedendum, strenuus hujus Medicinæ Dictatoris defenſor & nterpretator velit, & ſic ipſum in fermenta & eorum patronos debacchari liceat; *quos verbis admodum imponere, & quorum doctrinam abſurdam jam exoluiſſe* absque ullâ demonſtratione protrudit, quod equidem ipſi probandum erat, antequam thronum idolo ſuo plethoræ erigere poſſet; fermenta meris verbis & argumentis minus adhuc ſatisfacientibus impugnans, quæ haurienda erant ex fonte Chemiæ, in qua ſuam imperitiam demonſtrat, ubi, *actionem mutuam acidi & alcali pro fermentatione* obtrudit, & *motius ſumtam fermentationem partium motum inteſtinum eſſe* cenſet, utrumque enim falſum eſt; docti viri hodie in Chemicis leviter verſati demonſtrant.

Non male Parmenides & Democritus, menſtruationem dixerunt fervorem uterinum, ſpecies enim fervoris in totâ Machinâ apparet, extraordinario modo agitatâ, vellicatâ, preſsâ a capite ad inguina, ſæpius etiam ad pedes usque cum ſenſu manifeſto, ex quo motum ex-

traordinarium fluidorum adeſſe in Machinâ concluſerunt Chemici.

Quamvis pro fermento nec fermentatione defendendâ ſtemus, lubet tamen pauliſper objectionibus auctoris pag. 9. prolatis diluendis immorari, quæ ad quatuor interrogata reduci queunt.

1. Ubi fermentum illud deliteſcit?
2. Unde novi fermenti ſuppetiæ?
3. Cur non exſtinguatur?
4. An non repugnet circulanti ſanguini & ſenſui communi?

Si per fermentum, ſeparatam quandam portionem materiæ collectæ & hoſpitantis intelligat, integrâ illius ad motum & quietem libertate exiſtente, erit difficillima collocatio & inventio illius domicilii, aut ſedis, & forſan tale nunquam in rerum naturâ exiſtit, nec ſalvâ circulatione & indefeſsâ propulſione dari poteſt.

Si vero per vocabulum fermenti intellexerint Phyſici Medici, quandam portionem velociorem materiæ craſſiori immerſam, indeque per motum ſenſim & ſenſim ſeparabilem, poſtmodumque activam & magis celerem exiſtentem cum niſu & arietatione in partes vicinas ſenſibili majori, quam antehac obtinebat, inde facile illud dictum fermentum reperiet unusquisque naturæ curioſus.

In

In Machinâ diverſas partes dari ſolidas æque ac fluidas demonſtratione ſufficienti liquet, eas in tarditate & celeritate motuum differre au-optice evincunt Anatomici; has variis etiam externis accidentiis diſtingui, guſtu, odore, colore, tactu, etiam auditu ſæpius percipi po-eſt; easdem diſcrepantibus functionibus inſer-rire, & ad fines varios tandem tendere, no-iſſimum eſt Medicis; illas tandem coöperari nter ſe, & ſibi mutuo inſervire auxilio, ex oncurſu & mixtione quadam nobili & ſuſpi-iendâ, pluribus Anatomicis & Practicis expe-imentis liquidum eſt.

Hæ functiones, facultates & temperamenta uibusdam dicta, partes, humores, ſpiritus, uam mutabiles ſint, ipſa inquiſitio levis de-nonſtrat, nihil enim conſtans, nec durabile iu obſervatur, quoad motum, quietem, alia-ue accidentia corporum, quamdiu aëre & ali-nentis hæc inconſtantibus indigent.

Hæc ſi vera ſint, ut ſunt veriſſima, quis on videt tale fermentum nil aliud eſſe quam ertam quarundam particularum fabricationem, apparitionem ex motu continuato materiæ quidæ, quæ mutuas ſuperficies certis tem-oribus magis premit, atterit, & deterit, un-e tandem liberior exitus & operativa collectio ortionibus, velocitate ſubtili gaudentibus, onceditur.

Illa autem ut ſuccedat vis, in iis locis congeſtiones fieri debent materiæ, in quibus minor eſt libertas preſſionis, & major liquidi mora, in his etenim locis ſenſim admiſſum & retentum liquidum, diutius hærere ac ſe mutuo afficere poteſt, præſertim ubi accreſcit impetus ab aliis liquidis ex materiâ decarceratis, rarioribus & velocioribus redditis, quæ pro ſtimulo ſunt acuto, quæ ſi conferantur, mutatis mutandis, cum iis quæ habet Charleton de cauſ. catam. contra fermenta, & ſpeciatim uterinum, argumenta obſervabit ruſpator, hæc noſtram ſententiam non deſtruere.

Hæc loca cum neceſſario glandulæ ſint & lymphatica vaſa, lubet, ut dicta luculentius pateant & interrogata ſuperius propoſita intelligantur, hiſtoriam glandulæ perſtringere.

Glandulæ, à quadam cum plantarum glandiferarum fructus ſimilitudine dictæ, veteribus nomine tantum cognitæ fuere, quoniam ſtructuram earum & uſum verum ignoraverunt; nam eſſe ſubſtantiam parenchimaticam circa vaſa ſanguifera coagulatam ſcriptis prodiderunt, pro vaſorum fulcimentis, ne tam facile lædi poſſint; aliisque fictis uſibus, quos enumerat Barthol: Anat: ref. p. 7. verum harum examen antiquitus neglectum, hodiernorum Anatomicorum ſolertia felici ſucceſſu ſuſcepit; qui ſenſim & ſucceſſive ſummâ cum diligentiâ earum ſtructuram &

uſum

ſum penetrarunt, quorum tamen ſententias mnes examinare non eſt animus, mittendo ariam glandulæ deſcriptionem, meam ſic pro- ono, quod ſit maſſa fibroſa vaſculoſa mol- ior vel durior, tunicis involuta, cavitate præ- ita, plerumque figuræ globoſæ depreſſæ, va- ii ſucci à ſanguineo latice ſecretioni inſer- iens.

Multifariè glandulæ dividuntur apud Medi- os; Fernelius lib. 1. Phyſiol. cap. 10. §. 7. & 8. a ſoliditate denſiori vel molliori, in den- ores & molliores diſtinxit, alii ratione con- ormationis, in conglobatas & conglomeratas quam diviſionem ſequuntur plurimi) illæ æ- ualem ſuperficiem habent, & ex unâ quaſi ibi continuâ ſubſtantiâ conflatæ ſunt, ut vagæ bdominis, lumbares, &c. hæ variam figuram abent & è plurimis glandulis tanquam toti- em lobulis exacte vel laxe ſibi contiguis, cum liquali ſuperficiei inæqualitate compoſitæ ſunt, &. hanc differentem ſtructuram quidam per ructum mori explicant, is nempe quatenus ompoſitus eſt è plurimis baccis, ſimilis eſt glandulæ conglomeratæ, conglobata autem ſe abet inſtar unius baccæ, quibus tertium quod- lam genus addit Sylvius noſter diſp. Med. 5. . 28. nempe renales rerum ſuccenturiatorum, lii addiderunt conglutinatas, alii veſiculares, & vaſculoſas, annotante Cl. Ant. Nuckio

Adenog. curioſ. cap. 1. & idem l. c. pag. 36. *vaſculoſas* conglomeratas & conglobatas, *muſcoſas* non male vocari ſcribit, ut vero in difficili hoc negotio medium teneamus, ſic ſummatim glandulas dividimus, in carneas & veſiculares, illas in conglobatas & conglomeratas, has in eas quæ vaſculis ſanguiferis magis exterius, & in eas, quæ iisdem interius ornantur.

Conglobatæ carneæ vel Chylo & lymphæ ſimul inſerviunt, vel lymphæ ſoli, illæ in cavitate abdominis locum habent, hæ in eadem reperiuntur vel circa majora vaſa, articulationes & in muſculorum interſtitiis collocantur.

Carneæ conglomeratæ, aut ſunt perpetui uſus per totam hominis vitam, elaborantque vel ſuccum ſale muriatico præditum, ad ſalis communis naturam accedente, vel acidiuſculo volatili refertum eundem ſecernunt; aut ſunt intermedii uſus, inſervientes fœtui duplici modo, in, & extra uterum, pro vehiculo & nutrimento; in genere autem de his glandulis notandum, quod ſeparant ſuccum ſuâ ſponte ad ſub acidum varium vergentem.

Glandulæ veſiculares vaſculis ſanguineis exterius ornatæ, ſpectant vel ad hominem natum, vel ad nondum natum, illæ conſpirant in uſum publicum, privatum vel in quaſi privatum; hæ nutrimentum admittunt & modificant.

Glan-

Glandulæ veſiculares vaſculis ſanguiferis inte-
us magis ornatæ, in viri partibus generationi
ſervientibus reperiuntur vario in uſu, vel in
dem fœmineis; vel denique ad utrumque
xum ſpectant, quarum omnium nomina, ſi-
m, numerum & ſtructuram peculiarem de-
ribunt in adenographiis Anatomici ſagacio-
s, quæ in ſingulis exſequi inſtituti noſtri ra-
o non fert; cujus ſcopus in id tantum inten-
s eſt, ut generalem, brevem & diſtinctam
andularum ideam lectoribus offerat.

Res profecto hæc ardua eſt, plurimaque ſa-
icia defatigavit ingenia & manus, nam om-
ia, quæ glandularum omnium ſtructuram at-
nent, ad oculum non poſſunt demonſtrari,
uoniam quædam glandulæ in ſtatu naturali,
o tenuitatem vix detegi poſſunt, licet eædem
æternaturaliter affectæ, ſatis conſpicuæ ſunt,
no nonnunquam ita extenduntur, ut veſicu-
s æmulentur; conteſtante Malpigio in Epiſt:
l Sponium, adeoque harum compages eſt ab-
ruſa, intricata, & dignotioni plenariæ perdif-
cilis, nec apparet niſi in quibusdam carneis
onglobatis naturaliter conſtitutis.

Carneam igitur conglobatam hic enodare
onabimur, quæ duplici incruſtatur tunicâ, quod
im demonſtravit A: Nuckius lib. cit. p. 27.
teriori mutatâ a membranis adjacentibus, ut
thorace a pleurâ, in abdomine a perito-

næo &c. & interiori propriâ, quæ convenit cum aliarum membranarum ſtructurâ, variisque perforatâ eſt foraminibus, pro vaſorum nempe ingreſſu & exitu, qua depoſitâ, absque laceratione vix ſeparanda, hæc nuda apparet, ſuperficiei inæqualis & tuberoſæ, oculo microſcopiis nempe armato, & eodem modo ac exterior membrana pertunditur, variantisque coloris exiſtit, pro humorum in vaſculis ſuis contentorum varietate, nunc flavi, nunc albi, nunc nigri, &c. quæ etiam de exteriori membrana dicta ſunt.

Vaſcula, quæ per has membranas & glandulas ipſas vagantur in oculum nudum incurrentia in majoribus, vel armatum in minoribus glandulis, occaſionem multis neotericis præbuere ſuſpicandi, glandulam non niſi vaſculorum glomeramen eſſe, ſed accuratiores Anatomici, poſt Nuckium, demonſtrant, quod interior glandularum ſaltem conglobatarum facies exſtructa ſit, ex innumeris fibrillis tenuibus, validis, &c. quarum aliæ denſiores, aliæ breviores, aliæ longiores, nunc oblique, nunc transverſim, nunc rectâ ſibi mutuo inoſculatione diverſa cohærere fingunt; quas non ſine ratione duplicis ordinis eſſe ſtatuunt, ſed admodum intricatas & retis inſtar multas areas intermedias relinquentes; harum primus ordo a proprio glandulæ velamine enatus emittit fi-

bras

s ad membranam, quæ cavitatem glandulæ tegit, rectas & obliquas, &, cum hæ fibræ erentur, fit glandulæ diaſtole; alter vero ge alio modo incedit, fibræ quidem a mem- nâ externâ propriâ oriuntur, ſed primi or- is villos interſecantes ad interiorem tendi- am membranam non terminantur, verum ic circumambientes flexu quaſi in circulum to, ſingulæ iterum fibrillis ſuis viſum fere terfugientibus exteriori membranæ interte- ntur, a qua prodiere, & hæ ſyſtolen glan- læ efficiunt, eodem fere modo, ut illæ fi- æ cordis quæ a baſi verſus conum deſcenden- oblique contortæ, ad alterum latus aſcen- ntes motum cordis ſyſtalticum peragunt.

Deſcriptæ fibræ ſunt glandularum motus or- na, ad humidum ſanguineum admittendum ab eo ſecretam lympham, & reliquos ſece- ntes ſuccos ad vaſa ſua propellendum: & ter harum fibrarum ordinem interponi mi- utiſſimas glandulas, ſub formâ arearum in vi- m incurrentes, ubi conglobatæ per medium cantur, admodum probabile eſt, quoniam in embranis reperiuntur armato oculo, & tanto agis huic ſententiæ favere cogor, ubi maxi- as ſæpiſſime corporum moles, in ſuis minu- s particulis & portionibus, eandem faciem præſentare indefeſſi corporum indagatores ob- rvant; quibus minutiſſimis glandulis, con-

venien-

venientibus usu & dispositione, cum sibi similibus, internas & externas glandularum membranas ornari, pro fluido illi glandulæ ad functionem debitam necessario, fermento dicto, aliarum membranarum & tunicarum structura illis dotata suadet.

Cavitas glandulæ, quæ rima vocari quoque potest, describenda nunc venit, hanc nec ubique sphæricam neque ovalem deprehendunt Anatomici, sed pro cujusque glandulæ figurâ nunc longitudinalem, nunc triangularem, nunc diversam, nec semper in centro excavatam esse autopsia demonstrat, sed jam magis, nunc minus versus hoc illudque latus conspicitur, & hinc a dextris, vel sinistris mollior aliquando observatur glandularum paries.

Vasa glandularum structuram pererrantia numerantur quinque, distinguenda in efferentia & inferentia, hæc arteriæ & nervi sunt, illa venæ, lymphæductus & vasa excretoria; arteriæ quamprimum glandulam intrant, divisæ in minutissimos surculos plexum solummodo mentientes partim in glanduloſa glandularum corpuscula desinunt, partim in illarum cavitatem, hiscentibus ibidem per vices orificiis, nam arteriarum extremitas sphincterico musculo ornari ratio evincit, contentum sanguinem exonerant, qui ibidem in varium secessum abit, postmodum in vasa sua demandandum; & hic divor-

vortium & ultima humorum perfectio ſeu fi-
s abſolvitur, ad quas actiones, non ſolum
iritus animales glandulis adferuntur; verum
iam ad motum & ſenſum glandularum perfi-
endum, hinc nervi in glandulis inſigniori
opagine deteguntur & radices ſuas per totum
andularum corpus diſpergunt, a plexibus ſibi
oximis emiſſas: ex dicta cavitate venarum
dices exſurgunt, quæ poſt varios flexus coali-
majora exſtruunt vaſa, ſanguinem ſic dictum
mnem refluum ſat copioſo ſero, quod de ſua
bſtantiâ in hac ſecretione multum amiſit,
tamen ſufficienter adhuc eo dilutum verſus
ordis dextrum thalamum revehentia; alterum,
uod ſequitur, efferentium vaſorum genus,
nt incilia, quæ ex iisdem glandularum cavita-
bus, tenellis & exiguis adhuc dum rivulis pro-
ientia duabus, tribus, vel pluribus conjun-
a glandulam aliquando deſerunt vaſellis, lym-
ham in ſibi vicinos deponentibus ramulos,
ui alias petentes glandulas easdem tranſeunt,
el perrepunt, & recipiunt per anaſtomoſes,
ut vaſorum inſertiones, harum lympham,
uam per minores ſuos ductus decurrentes ſen-
m in majora vaſcula, lympham tandem in
uctum thoracicum evomunt; adeoque non
udiendus eſt Nuckius, aliique qui ſtatuunt va-
lymphatica quædam adferentia ad glandulas
uccum vaſa eſſe, nam illa vel glandulis in-

cumbere,

cumbere, vel easdem pertranſire, atque in tranſitu exſurgentes in ſe recipere ſurculos, illis concedendum eſt, nunquam vero vaſa lymphatica ex ſe ramuſculos dispergere ad glandulas, ut contentum in hiſce deponant demonſtrare poterunt adverſarii, Bilſianæ doctrinæ adhuc addicti, nulla enim è lymphaticis in glandulas effunditur lympha, quia valvulæ regreſſui obſtant, quod miror Nuckium ſuo Mercurio non obſervaſſe; hinc igitur concludere licet incilibus omnibus cum glandulis commercium eſſe, quin imo glandulis primam ſcaturiginem lymphaticorum deberi, quæ vel ſimplicia vel compoſita ſunt, illa immediate ex glandulis exſurgunt, hæc vero ex variis lymphaticis conſtructa inſignem efformant ramum: ultimum vas efferentium a deſcriptis diverſum, ſegregatos a ſanguineo latice ſuccos vehit, ex eadem cavernula; qua venæ & incilia, ortum trahens.

Non tam uniformia, ac ſunt deſcripta, hæc vaſcula deprehenduntur, ſed admodum diverſa, nam, vel corpori reſervandum adipoſum & nutrititium, in ſacculis & ductibus adipoſis mox extra glandulas late expanſis, vel vaſculis in cloacam quandam exporrectis, pro certis uſibus emittendum humorem vehunt; & hæc excretoria per excellentiam audiunt vaſa, ad hæc quoque referri debent vaſa, quæ etiamſi

extra

extra glandulas, canalem non conſtituunt, ſuccum eliminandum tamen eructant, ſicuti in glandulis inteſtinorum; pericardii, meatus auditorii, tunicarum, & glandularum accidit.

Ex his itaque veram glandularum ſibi colligere ſtructuram unicuique inveſtiganti licet, perſpiciat modo glandulas è fibris tendineis, membranis, nervis & vaſculis conflatas eſſe; dein ab his & male affectis ad minimas glandulas ratiocinetur, inquirendo quod omnes ſecretioni humorum inſerviant, quæ uſu, & diſpoſitione per conſequens conveniant: hæc tamen non ita concipienda ſunt; quatenus minima circumſtantia vaſorum, villorumque rem omnem alterare poſſit; vaſorum enim reptatum in his & in aliis variare, in veſicularibus manifeſtiſſimum eſt, harum enim quædam exterius vaſorum ramificationibus adornantur antequam ad interiora pergant, quæ mox fibrarum interſtitia permeantes vel potius easdem concomitantes, conſpiciuntur (ſi morboſæ ſint, alias oculi acies eo non pertingit) contingit quoque, ut ob glandularum mollitiem, fibrarum ſtratum detegere non poſſit Anatomicus, neque ideo quia oculus eas non videt, illico easdem abeſſe inferendum eſt; quod commodiſſime probatur per vaſa, quæ albugineam oculorum tunicam perreptare ſolent inconſpicua, quamdiu non inflammantur, ſtatim ve-

ro,

ro, ac humore inflammante infarciantur, & turgent, ſatis copioſe in conſpectum currentia.

Expedita hac glandularum anatome, proximum eſt ut ad ſecretionem paululum advertamus, ut eo luculentius fermenti exiſtentia, locus, neceſſitas & uſus appareant actionesque ejus melius intelligantur, percipianturque.

Propulſæ igitur vi motus cordis & arteriarum oceani noſtri, usque in cappillaria arteriarum vaſcula guttulæ, & in cavitatem ſeu glandulæ folliculum a primi ordinis filamentis dilatatum elapſæ, poſtquam varium ſeceſſum & leves haud mutationes ibidem fuerint paſſæ, non per unius generis vaſcula ex hoc cavo mediantibus ſecundi ordinis fibrillis conſtricto, & vi pellentis ſanguinis propelluntur, ſed per tria diſtincta & ſuis uſibus deſtinata, ad diverſa vehuntur loca, ſed hic præcipua de excretoriis res agitur, quibus diverſimode figuratis ſecretorum a ſanguine ſecedentium humorum diverſitatem adſcribere non audent plurimi; quoniam a ſimplici tranſitione particularum per poros, hæ figuras ſuas non accipiunt, hinc tamen non requiritur, ut pori vaſorum particulis transeuntibus exactè reſpondeant, nam poſito uno caſu in quo ſecretio ſic fieri poſſit, infiniti darentur, in quibus hoc concedi non poſſit, quoniam omnia corpora ſphærica per

orificia

orificia paulo majora circularia, ad talem ſecretionis modum concedenda in fluidis noſtris videntur, quod minime probabile eſt; omne enim corpus cujuscumque figuræ per cujusvis poteſt tranſire orificium, cujus minimus diameter corporis maximo diametro major eſt; atque ſic attenuatio vel potius ſecernendorum tenuium tantum humorum philtratio foret, etiam ipſa ſecretio, quod ab ipſa experientia recedit.

Exinde patet, quod diverſa pororum vaſorum excretoriorum amplitudo, ſecretionis omnia phænomena non ſolvat, nam alteratio humorum, non fit in colaturâ merâ, niſi ea, quæ jam naturaliter fluido ineſt, quoniam philtratio, ut more Chemico loquar, ipſas partes tenues à craſſis ſeparare quidem poteſt, ſed nequaquam alterare in ſuis accidentiis, permanente eâdem figurâ cum omnibus ſuis qualitatibus in corpore fluidiori & fluidiſſimo filtrato, dein colatura, ſi exacte conſideretur, ipſos liquores fervidos, admodum tenues & planè diaphanos tantum reddit. Hæc autem ratio ſufficeret, ſi unus in noſtrâ machinâ adeſſet liquor, illeque plane diaphanus eſſet; contrarium vero fluida noſtra probant, in multis diſcrepantia, ferme quoad plurimas qualitates internas & externas; denique ſi ſola percolatio per poros ſufficeret, pro diverſificatione humorum ac-

quirenda, parum incommodi ſentiret œconomia noſtra, ſi hæ aut illæ remotiores partes abeſſent; nam numeroſiſſima pororum ſeries ſuperſtes colamini illi ſufficeret, pro iisdem phænomenis eruendis, quod equidem multifaria negat experientia, ut de aliis taceam partibus, prout uterus, qui ſexui ſuo peculiares infert motus, &c.

Secretio & alteratio contentorum, alio modo igitur conſideranda eſt, hæc nempe procedit ab eorum conquaſſatione, a vaſorum & glandularum motricibus fibris communicandâ, ac motu propulſivo & leviſſimo inteſtino, per decuſſionem materiæ terreſtris & exaltationem portionum tenuium, & tandem alius corporis acceſſu, fermento vulgariter dicto, quod inquirendum eſt, ut apparitionibus circa alterationem & divortia humorum obvenientibus ſatisfiat.

Fluida congeriem eſſe minimorum independentium ſolidorum corpuſculorum, concedet is, qui illa ad ſoliditatem quam maxime properare in diverſis naturæ luſibus animadvertit, & ſolutiones graviſſimorum corporum in parvâ ſalis fluidi copiâ conſpicit; ſolida hæc arctius compreſſa motu, circa ſuperficies & cavitates afficiuntur, indeque in plurimis ſuis texturis læſiones neceſſarias & alterationes nexus, ſitus & actionis admittunt; læſæ illius materiæ partes,

tes, portiones antea incluſas emittunt, & ſuperficies fortius deraſæ & detritæ plurimis operibus privatæ fluiditatem majorem, magisque ſalinam vel ſpirituoſam admittunt, ad aptiorem poſtea penetrationem & velocitatem obtinendam.

Actiones hæ, non ſolum in vaſis majoribus, circa cor & pulmones obſervabiles ſunt, ſed etiam in minimis vaſculis tubulisque glandularum minimarum conſpicuæ, in omnibus locis ſuas præbent modificationes, in glandulis tamen præcipue viſendas, quoniam ſinuoſæ & contortæ admodum ibidem ſunt viæ, hinc eſt quod ibidem validior elaboratio ſuccorum, ad latera continuo impingentium, cum exaltatione momenti eorumdem ſuccedat. Ita ut motui admodum pareant ob imminutam molem, ſuamque propriam activitatem ex figurâ illâ proſilientem, eo exactiorem adipiſcantur, quo longiores in illis locis moras trahere coguntur comminuti hi ſucci.

Hoc autem opus optime ſuccedit in glandulis, earumque glanduloſis acinis, qui fermentum proprie elaborant; obtinendæ modificationi humorum affluentium ac ſecernendorum & agitandorum inſerviens.

Hoc in glandulis glandularum dictis, tam in ipſo corpore glandulæ, quam in membranâ ſitis hærens, ad ultimam

timam ibidem perfectionis notam, illis in vasculis & glandulis naturalem & specificam evectum, stillicidiis suis in vasa & cavum glandulæ alterationis liquidorum opus absolvit; unde quamdiu constanti suâ figurâ perstat, actiones & facultates nobilitatæ & sanæ inde prodeunt, quamdiu etiam solida partium structura permanet, figura & actio illis constans est, quam primum vero illa extraordinarie afficitur, hæc statim pervertitur, sæpe cum turbâ totius machinæ, uti probat obstructio extirpatioque, secum vehens negationem illius dicti liquidi fermenti; quod mediantibus fibris glandularum primi ordinis agentibus, totum corpus glandosum constringentibus, cum dilatatione tamen cavitatis glandulæ, ex vasis excretoriis emittitur, simplexque quamvis appareat ac minimum materiæ reliquæ addere videtur, utpote magnæ respectu illius humorum massæ, tamen curiosus naturæ actiones & alterationes illas non valde mirabitur, ubi insignes mutationes ex additamentis minimis circa colorem, saporem, odorem, actionemque liquorum Chemicorum observaverit, & ad naturalium operum normam, leviusculas corporum miscelas eorumque actionem & motum dirigi per Chemiam noverit.

Loca igitur, in quibus fermentum delitescit, sunt glandosa glandularum corpuscula cum

suis

ſuis vaſis excretoriis, quod demonſtrandum erat, quæ motui & librationi partium ſpiritualium ſunt aptiſſimæ, quamvis ſanguis ſuum etiam conferat munus, eique ac nervi & ſpiritus animales, a quibus partium facultates primum imperium acquirunt, quoniam humores ad independentiam majorem horum ope deducuntur, moderamen autem ulterius acquirunt a portionibus variis per motus extricatis & coacervatis, quæ ſuo acceſſu reliquam materiam ſtimulant, quam ad fervorem, id eſt, ad fortiorem ſenſibilioremque motum cogunt; prout poſt paſtum immediate refocillamur, ſolis ante chylificationem effluviis, quæ primum hoc opus perficiunt, prout idem febricitantes perſentiunt, qui pejus ſeſe habent poſt paſtum, ex iisdem operum ſenſibilium ſtimulis, quod liquidiſſimum eſt in hecticis.

Quis ergo non videt in ipsâ materiâ quærendum eſſe illud fermentum, ejusque negata, admiſſa aut recurrens dicta, non conceſſa tamen omnibus modis fermentatio: & ex his argumentis auctoris, quod Bohnius C. A. prog. 16. movit jam dudum, levitas ejusdem liquet, ſi fermentum ut rogat elt, ubinam exiſtit? an non propriam vehunt fermentativam efficaciam plurima vegetabilia? mel, ſaccharum, muſtum, nuclei plurimi, ceraſorum, prunorum, ſucci &c. quæ diluta ſponte fermenteſcunt

absque ullâ fermenti additione, (quod etiam notat J. C. Barchuſen in ferment: explicat:) & probant illud ſpiritus, qui inde prodeunt velociſſimi.

Superioribus inſuper ad examen exactum revocatis, manifeſtum fit *ſententiam, quæ propria ſingulis viſceribus fermenta tribuit, minime circulanti ſanguini nec ſenſui communi repugnare*, ut objicit auctor p. 9. ille quæſo perpendat ulterius, vaſcula ſinuoſa & glandulas fermentum hoc continentes, aliquomodo ab æſtu ſanguinis eſſe remotas, eique aggeres eſſe objectos ex fibris, valvulis & muſculis ſphlintericis in glandulis; unde maximum confuſionis periculum præcavetur, quibus adde, ſi collectio & ſubſiſtentia alicujus humoris diſcrepantis in hoc illove loco ſeparato repugnaret circulationi, ſtatim profecto bilis, lac, ſemen a ſtatu ſuo naturali corrueret, & lymphatica vaſa nulla eſſent, circulatio enim non adeo exacta eſt, ut uniformem & abſolutam omnium liquorum involvat miſcelam, ea tantum in oceano noſtro obſervabilis eſt, lentius & plane alio modo in cæteris humoribus motus ille localis procedit.

Cur non exſtinguatur, & unde ei ſuppetat ſupellex, abunde ut credo ſatisfactum eſt ſuperioribus, unde enim vires exhauſtas recupetant ex morbis convaleſcentes? ex eâdem materiæ

teriæ portione, quæ ſenſim ac ſenſim ad illam figuram & potentiam aſcendit ; hoc patet in acidis ructibus ſalutis indicia præbentibus in morbis ; ut annotavit Hippocrates Aph. 1. Sect. 6.

Quamdiu alimenta ſuppetias tradunt humoribus, hi depauperati in integrum reſtituuntur, ad illum apicem motus, molis, & figuræ reduci ſeſe ſinunt, & ad luxuriantes operas tranſire queunt ; tamdiu redintegrationes illius fermenti ſpirituoſi & exinde ſubſequentes actus etiam periodicas inire revolutiones poſſunt, quæ ceſſant pro tempore, ex profligatione vel conſumtione minimarum illarum materiæ portionum, centra ſua deſerentium, donec aliunde de novo, eidem operi idoneæ accedant.

Hæc tam vulgaria & evidentia ſunt in pluribus aliis partibus, earumque functionibus vel facultatibus imminutis, alteratis, immutatis, ut de iis nullus dubitationi ſupereſſe poſſit locus, reſtat autem inquiſitio undenam talis fermentorum diverſitas, quæ ſingulis diſtinctis partibus, ut ajunt, aſſignari ab aliquibus Chemicis ſoluit.

Partes ſolidas, glandulas variare in ſuo contextu, ſitu ordine tam ſuperficierum quam cavitatum, ſinuum, angulorum, ramificationum, ibidemque contineri fluidos humores non minus inter ſe diſtinctos, illa loca perreptantes &

quadam preſſione diſtendentes, ibidem circulantes, circumrotari, comminui & ſubigi, ita ut in minimas ſenſim abeant partes, etiam indefinitæ molis & figuræ capaces, cuncti Anatomiæ etiam rudioris capaces norunt.

Has partes ſolidas a fluidis affici nemo dubitat, eas autem affectiones non unas ſed varias accidentias exhibere in variis maſſis, in praxi uberrime liquet, in ſanitate ipsâ conſtat, unde natura liquidi & ſolidi manifeſtior ob oculos perpetuo ludit, etiam illud alio modo explicantibus, ſermo enim noſter veritatem venatur, non ambitum de imperio verbifero.

Portiones minimæ materiei, quas Chemici ſales aut ſpiritus nominant, ſequuntur naturam illius, ex qua prodiere per motum & fugam liberatæ a ſuo corpore craſſiori, unde actio etiam ſequitur hanc figuram, & exinde varietas prodit ſpirituum, ſalium ſeu fermentorum, quocumque nomine has deſignari lubeat partes, ac merito dici poſſunt, ſi ſaniori ſenſu ſimilia expendamus, quod ſingulæ glanduloſæ maſſæ, fluidum diſtinctum vehentes propria contineant fermenta, quamvis alio etiam titulo hæc inſignire quis Phyſicus Medicus poſſit.

Non alio igitur modo fervorem & fermentationem poſſe explicari, neque per illa vocabula aliud opus voluiſſe Chemicos, niſi illud quod ope ſpirituoſæ cujusdam portionis

ex

ex materiâ ipsâ resultantis perficitur, statuo, reliqua, quæ in ipsos fuere deblaterata, ab artis ignorantiâ & odio, aut a malâ horum expressione ortum sumpsisse affirmo, quæ nunc ulterius prosequi supersedeo.

Illa, quæ gratis præsupponit hic auctor, p. 9. *brevi in sanguine cessaturum motum intestinum, nisi liquido, quod a corde immittitur, excitaretur denuo, ad vitam & resuscitationem* usque sufficiens, denotant ipsum penitus ignorare motum intestinum, ut & cum dicit; *quæ sub iisdem planis horizontalibus jacent, æqualiter premuntur, adeoque ad quietem sese componunt*; bella profecto verba Mechanica! quæ nihili in rebus Physicis Medicis sunt æstimanda; nulli igitur essent, nec fieri possent, secundum hunc auctorem, motus intestini, in musto, aquâ saccharatâ, hydromelite, succis vegetabilium, lacte, urinâ, lymphâ, sanguine, cæterisque liquidis, dummodo sub *iisdem planis* &c. premerentur, neque exhalationes aliquid de materiâ detraherent motâ, quæ se mutuo premit, & atterit; neque illæ exhalationes & portiones collectæ, alibi sese sisterent, multo minus agerent, tandem ipsa integra & æterna permaneret materia, longævitatis fundamentum nobile.

Restant plethoræ pro Mechanicâ (si Dis placet) causâ menstrui fluxus invocatæ nobiliores

demonſtrationes; nam ad fermenti meri noxas & lethales cauſas, ab auctore ventilatas, reſpondere, eſſet cum eodem nugari, nemo enim ultra poſſe, obligatur; potentia talis fermenti a nobis propoſiti nunquam ultra limites ſuos pergit, quos agnoſcit ex ipsâ materiâ limitatos, ergo nunquam noxium eſſe poteſt, ceſſante enim illius productione & niſu validiori, ceſſat & illa in ſuo motu propulſivo.

Quid proprie per plethoram intelligit, vix explicat Auctor; Medici duas ſtatuerunt, quoad vires nempe, & quoad vaſa, utraque forſan ex uno eodemque fonte prodiente, diverſimode Machinam afficiene, nulla datur, ſi potentiam actionis ſanguinis ſpectes, copiâ enim ſua redundat, aut quædam vaſa nobiliora vel ignobiliora premit.

Undenam illa plethora magis emergat in virginibus ad illum ætatis florem evectis, quam in adoleſcentibus? ſtatuit *minorem tranſpirationem cauſam eſſe, quod domi agant neque vehementioribus laboribus exerceantur*, cum Galleno nempe, (Mechanicorum forſan principe) affirmans ſolis acceſſum negatum, etiam minus perſpirabilem cutim, tenellam & delicatulam reddere, vah! quanta hæc eſt quæſtio, *quæ*, ut Cl: Bohnii verba, ad hæc reſpondentis inferam, prog: 16. C. A. *quidem magiſtralis videri poterat magiſtris illis artis, Hippocrati nempe*

pe

pe & Galleno ; a tyrone nilominus commode ſolvenda; videatur etiam Charleton, qui hanc ſententiam viriliter evertit.

Tranſpiratio morbos gignit negata, morbi nunquam ſanguinem bonum & defæcatum creant, ſed eundem aut ſero aut materiâ quadam craſsâ gravant, ergo tranſpiratio negata pleonasmo ſanguinis noxia & plane adverſa eſt: hæc ſi dilui per Medicinam ſtaticam Sanctorii poſſunt, prodeat homo Mechanicus; imo, morborum origo & præcipuum fundamentum ex hujus negatione cum in omnibus hominibus habeat locum, an credibile eſt, hanc tranſpirationem interceptam in muliebri ſexu eſſe plethoræ & menſtruationis cauſam?

Si per plethoram, ſufficientem ſanguinis quantitatem intelligat, ut par ſit jacturæ menſtruali ferendum fæmineum corpus, de eo nemo dubitat, ſed ſi per hanc velit illam redundantiam ſanguinis, cui in corpore ſuſtinendo impar eſſet mulier, illud pernegatur, niſi ex diverſis menſtruationum temporibus illud demonſtretur, nempe mulierem ſemper ita in pondere accreviſſe & decreviſſe, ut juſta inde menſura ponderis expendi poſſit; antequam fidem, quævis audacter protrudens, mereatur.

Fermenti naturam & vim ignorans ſimul & abhorrens Freind, ubi tam funeſtas ei adſcribit actiones p. 10. forſan nil metuit de hoc con-

conceſſo fluxu ſanguineo, qui, ſemel admiſſus, non tam facile ceſſaret, poſtquam vel minimum inchoaſſet, & perpetuari deberet, de novo ſemper accreſcente ſanguine, etiam fluentibus menſtruis, ab alimentis non abſtinente muliere, etiam iis, quæ minus perſpirant ſecundum Sanctorium, ut caro ſuilla, meloneſ, ficus recentes &c. & inhibita, de nocte aut frigore tranſpirationis quandoque materiâ, quæ ex minore motu vel ſtomacho male cibos digerente ad uncias viginti, vel plus, ut in diverſis notat Sanctorius aphorismis poteſt alterari: his adde vaſorum diametros, magis a menſtruationibus recurrentibus extenſos, unde tandem nulla eſſet remora, minimo etiam ponderi ſuperfluo ſanguinis, quin per illa latiora vaſa ſtatim ob renitentiam negatam exitum integrum obtineret ſanguis, præſertim cum erectæ incedant mulieres, ac horizontalis vel perpendicularis permaneat fluidi preſſio.

Hæ enim difficultates non ſunt metuendæ, ſi in ſanguinis materiâ alius motus & diſpoſitio portionum minimarum requiratur, antequam ille fluxus inchoet vel ceſſet, ſanguinis etiam fœtore aut fragrantiâ, ſecundum noſtrum, illud annuente.

De novo reſtaurari ſanguinem, eumque renovari per nutrimenta, ut jacturæ denuo reſiſtere poſſit, eumque, tempus denuo quoddam

requi-

requirere, antequam ſpiritualibus illis nobilitetur portionibus, atque iisdem imprægnetur, illasque non ſimul & ſemel poſſe communicari lymphæ, & partibus ſolidioribus, ſed tantum per vices, tandemque motus illos luxurianti illi deberi materiæ credimus, affirmamus.

Cauſas plethoræ fæmineæ traditurus, aureas quasdam Mechanices regulas præmittit auctor, ad quarum normam, fermentis ad piſtores ablegatis, hodie Medicinam conſtruere, ut recte notat Ramazzinus de morb. artif. p. 149. ſtudent Mathematici, in priori vero multa eſſent limitanda & limanda, antequam conſenſum obtineant Medicum, & præcipue Practicum.

Corpus omne in eodem ſtatu permanere, ſi evacuatio additioni fuerit æqualis; unusquisque concedit, modo eadem ſit qualitas, quantitas, & quodvis illius materiæ requiſitum, alias negatur, nam pondus vel quantitas ſola non eſt menſura corporis, niſi talis quæ omnes materias reſpicere poſſet quantas dicendas; ſic libra mercurii vivi & libra aquæ conveniunt in pondere, ſed non in aliis qualitatibus; ſic oleum therebintinæ & olivarum, in illo tertio conveniunt, ut ſint inflammabilia, ut fuliginem tradant &c. attamen nemo ſtatuere auderet, ſi oleo olivarum partem detraherem per deſtillationem, vel ſimpliciter tantum, ſubſtituens

oleum

oleum therebintinæ ejusdem ponderis, quod oleum olivarum in eodem ſtatu permaneret; imo vix illud affirmari poſſet, etſi novum oleum olivarum ſubſtitueretur, niſi omnes materiæ illius portiones eſſent unæ eædemque; hoc inſuper quam maximè liquet in vinis, eorumque miſcelis dolio replendo deſtinatis, ubi tot luctæ, motusque ſæpiſſime oboriuntur inteſtini, ex minima portionum minimarum vix perceptibili deſcrepantiâ.

Si animali cuivis periodica aliqua ſupervenerit ſanguinis eruptio, & idem exactâ eruptione ſtatus redierit, qui ſub initium periodi fuit, ita ut nec minus nec magis ponderoſum fiat animal, in eo ante eruptionem iſtam fuiſſe plethoram &c. & hæc regula æque ſuis ſcatet difficultatibus, nam quamvis nullibi hæc demonſtrata ſunt, ut dixiimus, ſed potius experientiæ & rationi Medicæ repugnent; quam ob rem parum ad hæc reſpicere poſſem, ſed ut ſatisfiat æquitati pauca cognitu neceſſaria notabo.

Paroxismus menſtruationis periodice recurrens convenientem ita corpori evacuationem requirit, *ut ſtatus idem ſit poſt exactum illum paroxismum, ac ſub initium periodi fuerit*; hoc primo in Machinâ muliebri demonſtretur, quod impoſſibile ſtatuimus, niſi contrarium per ipſam ponderationem in diverſis pateat; & illud ubi pateret æquale pondus nondum conſequenti

quentiæ locus eſſet, exiſtere indicationem plethoræ, ſi per plethoram intelligat ſuperfluum vel redundantem ſanguinem purum putum, in ſimplici naturali extenſione & motu exiſtentem, nam idem contingit in hæmorrhoidibus periodicum ſanguinis fluxum præbentibus, in hæmorrhagiis variis, in hæmoptoe &c. quamvis nullus præceſſit ſanguinis pleonasmus.

Si autem per hanc putatitiam plethoram intelligat niſum portionum minimarum in parietes intergerinos & latera materiæ, qui ipſas ſuperficies illi motui reſiſtentes diſtendit, ita ut ſuâ expanſione majus ſpatium ex acceſſu aëris coöperantis, acquirant, poſteaque in omnes dimenſiones expatientur, vicina loca & orificia vaſorum amplient, tandemque turgescentiâ & vi exitum idoneum ſibi parent; tunc concedimus, alias pernegamus.

Certe alio non poſſe fieri modo, ipſa remedia demonſtrant, ipſe calor aëris evincit, ipſa alimenta nocentia & juvantia docent, ipſe abuſus rerum motui inteſtino adverſantium ut cretæ, terrarum abſorbentium quarumcumque, ſenſui noſtro patefacit; vide hæc magis extenſa apud Etmullerum loc. cit. neque hic tam anxio opus eſt ſcrupulo; neque tantæ eſſent difficultates ſiſtendi fluxum, in motu inteſtino, ſponte aut ceſſante aut invertente ipſam materiæ figuram, poſt hac ineptam tali

motui,

motui, quod unicuique vel a limite ipso Chemiam salutanti notissimum est, quam, si plethora in causâ foret.

Quæcumque magno molimine describuntur nugæ de illius plethoræ probatione, illæ ex merâ ingenii Mechanici prodeunt conjecturâ, rem nec demonstrant nec in planum deducunt; nam pro naturâ alimentorum menstrua procederent, ac pro labore & quiete mulieris eadem augerentur vel diminuerentur, quod falsissimum esse natura mulierum demonstrat.

Plethoræ vis qualis in mulieribus censenda sit, unciam unam alteramve menstruantibus, relatione habita ad libras duas tresve, quas quædam singulâ in menstruatione deponunt, illud etiam ex eodem principio, forsan Mechanico hauriendum exspectabimus: si uncia una alterave superflui sanguinis tanto polleat momento, ut exitum sibi quærat atque inveniat, necessario mulier ad illam mensuram sanguinis perveniens, ex plethorâ inductâ menstruum admitteret fluxum, nec ad uncias viginti, imo quadraginta plethoram admitteret natura sine magno labore & gravamine illius machinæ & œconomiæ. Sed objiciet forsan adversarius Aphorismum 11. Sect. 2. Med. static. Sanctorii nempe *ob aërem frigidum supervenientem calori, vestibus denudatus, minus duabus libris circiter diei cursu perspicare solet, nulla*

ob ipso animadversâ moleſtiâ ; & hoc conceſſo quid inde quæſo, niſi quod mulier, impeditâ tali modo, tranſpiratione augente ad duas libras plethoram in ipſo menſtruationis actu, liberaretur hoc pondere per menſtrua copioſiora, quod tamen falſum eſt ; imo ſi ex hiſce aphorismis argumentari liceret, mulier autumno per totum menſem deberet menſtruari, nam *ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hyemale qualibet die minus libram circiter perſpiramus* ; Aph. 41. Sect. 2. atque adeo, ſecundum ſententiam auctoris, perſpirationem imminutam plethoræ cauſam ſtatuentis, ſingulo menſe in muliere ultra triginta libras ſanguinis pleonasmus aſcendat, neceſſe eſt: ex quibus, porro conſequentias circa menſtrui ſanguinis copiam, deducere æquus Lector poteſt.

Humorem nutrititium in corpore redundare, deſignat ille fluxus, quem è ſanguinis plethorâ derivat noſter, nil crepans niſi hoc verbulum, illius inventum idolum, fori nempe Mechanici commentum, inſcius ex eodem fundamento poſſe explicari lactationem mulierum, ſuccum illum nutrititium in magnâ copiâ ſingulis diebus exhibentium ; an illud etiam ex plethorâ, vel ex aliâ causâ oritur?

Quod auctor petit p. 14. *ut fœmina ſana & menſibus rite purgata, per quinque annos eadem permanere concedatur*, hinc inferens *evacuatio-*

nes eo quinquennio peractas, alimenti copiæ respondisse, ajens porro, *quod si, menstruis subductis, evacuationes reliquæ non respondeant, patet fuisse ante ejectos menses in muliere plethoram*; responsione dignum vix est; nam datum primum, quod assumit, ex raro contingentibus vix quæri potest, & evacuationes sæpe in viris observantur minime plethoricis, ante quas nullum præcedentis plethoræ signum observari potest, prout in vulneratis & hæmorrhagiis liquet, facile in integrum restituendis per bonum ventriculi statum, Chylum optime digestum conficientis & dimittentis, qui jacturæ resarciendæ par esse potest.

Computatio *quinquennii menstrui* eidem censuræ subjacet, ubi libræ centum enumerantur evacuati sanguinis plethorici, *intra quinque annos*, etiam talem concessam evacuationem, in haud plethorico corpore, nondum mortem induxisse, plurima sunt exempla in viris, imo notat Lamb. Velthusius de generat. cap. 5. *quod multis menstrua fluere non desinunt, quæ jejuniis sese macerant.*

Miselläe fæminæ, si ex plethorâ menstruarent, morbis nunquam cessantibus excruciarentur, nam ab ipso redundantiæ plethoricæ exordio molestia vasis, sanguini illi sustinendo imparibus, quædam crearetur, nam uncia una vel altera sufficit ad plethoram & menstruationem

nem absolvendam, momentum etiam actionis, ab eo pondere inchoare cogitur, si credibile sit; ut hic vult, quod actio illa salutaris tamdiu perseveret, donec satisfactum sit illi plethoræ, id est, donec mensura, quantitas aut pondus pristinum recuperatum fuerit, alias impossibilis esset exacta illa continuatio ad hunc finem & scopum acquirendum.

Si autem tanta sit & permaneat vis in parvâ illâ quantitate restantis sanguinis post primam menstrui sanguinis substractionem, cur non & in priori incrementi fluidioris ac recentis sanguinis ex nutrimento immediate producti acquisitione persistit? spiritualis enim vigor major eo tempore adest: fortassis erit responsio, vasa tunc clausa majorem resistentiam habere, quam ut levi illi præmenti ponderi cedant, sed qua ratione illa aperiuntur ex minimo illo ponderе, quod vix ullius est momenti respectu massæ sanguinis; eadem enim valet ratio in his quam in illis.

De perspirationis negatione jam egimus, hanc nempe causam plethoræ esse non posse, sed vitiosorum humorum productricem existere, hanc autem *ex virium imbecillitate deducere*, ut vult p. 15. est toto, ut ajunt, cœlo errare, & hydropici transpirationem minorem obtinentes & cachectici debiles & prostrati essent plethorici, ex auctoris hypotesi.

Quis imbecilles mulierum vires notavit alibi, niſi in Gallenicis, Hippocraticis, aliisque extra ſolem, quietam & otioſam vitam ſuſtinentibus, alias robuſtæ ad labores & dolores perferendos ſæpius aptiores quam viri cernuntur, eadem enim valet ratio in mollibus viris, imbecillitate ſummâ dotatis; Spartanæ, Amazones & Viragines, aliud præbuere exemplum, & absque dubio adhucdum præberent, ſi ipſis integrum eſſet, ſalvâ honeſtate, virilibus exercitiis fungi, attamen tales ſæpius inter mulieres repertæ imprægnari non recuſarunt, etiam ſuis temporibus menſtruis non deſtitutæ, imo mulieres ruſticæ & caſtrenſes, ubique terrarum, perpetui fere laboris moleſtias graviter perferunt.

Hæc igitur imbecillitas vitæ conſuetæ delicatiori, non muliebri ſexui in genere eſt adſcribenda, prout etiam pulſus debilior, qui in robuſtiſſimis etiam viris ſæpiſſimè a Medico exploratur, ita ut de pulſu nihil certi in hac regulâ obtineri poſſit, ſæpius etiam laxior ſtatus vaſorum minus ſenſibiles ictus & impetus offert, quamvis hinc non de motus velocitate concludere poſſit; quæ de roboris ex pulſu & corde indiciis habet p. 15. ea in palpitatione cordis in aſthmate, in bilioſis temperamentis, in morbis calidis, contraria præbent effecta, adeoque in ſtatu ſaniſſimo, ſi ullus detur pulſus,

ſus, moderatus eſt optimus, pulſus enim imbecillis ſanguificationi obeſt & plethoræ æque ac viribus, ſi eo ſenſu, tanquam minor in viribus ad machinam, recipiatur.

Quid temperamentum humidius ad ſanguinis plethoram faciat; non liquet, vitam domi actam, & labore minus exercitam illius cauſam nunquam eſſe ſtatuimus, contra Gallenum, ejusque Idolatras ut & reliqua in illum ſenſum plethoricum peſſime detorta, nam hæc ad nauſeam usque rationi & experientiæ vulgariſſimæ repugnare docui, & ſequentibus demonſtrare paſſim idem conabor.

Structuram uteri & vaginæ deſcripturus ſuperbo ſatis modo aſſumit, quod nemo hactenus hoc opus Medicis adeo neceſſarium, exactius perfectiusque orbi litterato Medico obtulit, quam ipſe, *quod* ait cap. 4. *quidem ii, qui de catameniis ſcripſerunt, tanquam a re ſuâ alienum prætermittunt*; cujus dicti arrogantiam & falſitatem norunt ii, qui vel leviter in Medicorum ſcriptis verſati ſunt; ut plurimos ſilentio prætéream Doctores Medicos Ludovic. Bonaciolum, Janſon. Patrenſem, Michael. Bernard. Valentinum, uterum graphice delineantes, mittendo nudas Drelincurtii de utero quæſtiones: nullus neſcit; quid jam dudum ab acuratiſſimis pariter atque Anatomiæ peritiſſimis Swammerdammio & Regnero de Graaf,

ex profeſſo & ſumma laude, atque cum ſuperioribus immortali cum gloriâ hac in re præſtitum ſit, imo nemo hodie de menſibus vel caput unum conſcribit, in quo uteri vaginæque fabrica non perſtringitur, teſtes a meâ parte ſtant, Etmullerus, Bohnius, Ordlob. &c. quibus addi poſſunt Plazzonius & Pinæus, præſertim vero doctiſſimam Marc. Malpighii epiſtolam ad D. Jacob. Sponium, inquire, in qua vaſorum uterinorum in ſubjecto tam vaccino quam humano miras propagines per anguſtati uteri latera, latitudinem majorem prope uretræ orificium, exactam denique delineationem & inveniendi methodum tradit Vir accuratiſſimus, fibrarumque ſtrata ob oculos ponit, quem ſequuntur plurimi & Gualter. Charleton uteri proprie ſic dicti fabricam delineans, eundem tanquam nobiliſſimum ſuæ ſententiæ Patronum invocat: qui hanc præmittere operi ſuo, de cauſ. catam. quam maximè neceſſarium duxit, *qua* enim inquit, *perſpecta facile erit, fontem ipſum unde fluxus menſtruus ſcaturit, ab obſcuritate vindicare*, quod negotium, cum exactum tum conſummatum a ſagaciſſimis Viris traditum in luce corruſcat, a re meâ hic alienum puto, notiſſimum hoc opus recoquere, quare auctoris dicta breviter perſtringam tantum.

Situm vaginæ & uteri omniumque illius par-

partium, nullus Anatomicorum non annotavit atque delineavit, qui ſtatim in decumbentibus, a ſtatu perpendiculari recedens plurimis ſaltem gradibus, paralellum reſpectu horizontis ac in cæteris animalibus admittit, quem vagina in fæminis dormientibus & decumbentibus, per medium ferme vitæ tempus obtinet, nilominus menſtruantibus, taceo lecto per morbum affixas periodice menſtruorum fluxus dimittentes, uti ſuperius notatum, quare inferre mihi liceat conſequentiam, quam in ſequentibus ex hoc ſitu circa dictos fluxus deducit Auctor eſſe plane nullam; inteſtinum rectum, veſica & vaſa ſpermatica in viris eundem obtinent cum utero ſitum, nunquam Medici inde unice circa horum actionem & illarum partium motum aliquid concluſere.

Plurimas partes pinguedine & adipe deſtitui in machinâ humanâ, meninges, cerebrum, palpebras, penem, ſcrotum, membranas teſtium, obſervant Anatomici, qui ſi has partes circa uterum animadvertiſſent accurati harum partium Ruſpatores, eosdem ſilentio præterire non potuerunt, qui quotquot ſunt, vaſorum decurſum, magnitudinem, copiam, inſertiones, ſcriptis & tabulis ſuis in luce clariſſima poſuerunt; quos auctor hac in re pag. 120. tantum ſequitur, an vero vaſorum ſanguiferorum copia major, ut putat Auctor, &

Charleton, ſit ad uterum decurrentium, quam ad vaginam, injectione ceræ in eadem illa vaſa obſervare non potui ; imo Plazzonius de part. generat. lib. 2. cap. 6. cervicem obtinere ampliora , pluraque ipſo utero vaſa , ſcribit.

Porro auctor *multo ampliorem truncum aortæ deſcendentem in fœminis quam in viris* ſtatuit, quâ id nititur experientiâ non declarat, &, quid anguſtata vaſa catameniorum fluxui impedimenti adferre poſſit, non video, nam vaſorum anguſtia compenſatur celeritate motus humorum, ad illa vaſa appellentium, unde ex ipsâ vaſorum anguſtiâ momentum humorum menſtruantium & perſpirabilium adaugetur, & per conſequens eruptio menſium & diaphoreſis facilitatur , quod arteriæ ſanguinem velocius motum quam venæ vehentes probant, quarum ſectiones multo minores eſſe novit unusquisque quam venarum , quibus , an in texturâ uteri decurrentibus deſint valvulæ; experientiâ de hac re nondum inſtructus evidentiſſimâ nihil certi pronuncio; id tantum hiſce ſubnecto, cuncta hæc memorata uteri humani ſtructuram a plurimorum brutorum uteri fabricâ non diſtinguere ; & eorum plura circa uterum ita ſpecialia non ſunt, ut conſequentiæ ſit locus: quoad reliqua conjecturæ Mechanicæ ſuum relinquo idolum, ad ejus nervoſa præcepta p. 21.

ven-

ventilata disquisitioni Practicæ & naturali subjicienda transgrediens.

Horum primum motum, seu vim momenti corporis respicit, quod fit vel ubi celerius redditur & materia augetur, vel ubi utrumque fit: duo igitur hic considerationem merentur, celeritas aucta, & quantitas aucta, quibus tertium accedit celeritas simul cum quantitate aucta, unanimiter veluti conspirans ad suos actus.

Celeritas tum ex propriâ materiâ cum ex portionibus materiæ immersis, tum ex aliunde ductis particulis celeritate majori gaudentibus oritur, quæ materiæ illi integræ communicantur, vel denique solis portionibus quibusdam illi materiæ in velocitatem majorem cogendæ aliunde accedentibus.

Propriè & strictè loquendo, materia seipsam seu propriam substantiam, ut ita dicam, velociorem reddere nequit, nisi causa quædam alius motus accedat, antea nec visi, nec percepti, quæ ex quibusdam mutationibus nexuum ordinumve contingere debet, prout ubi ex oblongâ figurâ conficitur rotunda, vel ad hanc proxime accedens, & cum partes in mole majori cohærentes ad majorem abeunt independentiam: verum hoc contingere nequit, nisi quædam partium deligatio seu independentia major præcesserit, per portiones velocioris

materiæ antehac in craſſiori incluſas, ut aviculæ in caveis a libertate volatus arceri & prohiberi ſolent, quæ iisdem vi diffractis vel apertis avolant; eodem modo incarceratæ hæ portiones tamdiu quietæ, quamdiu in arctioribus clauſtris detentæ detinentur; ſed & hæc decarceratio ſeu libertas aliunde deducenda quam ex ſolis illis velocibus portionibus, nam inſufficientes per ſe ſunt libertati propriæ acquirendæ, niſi externus accedentium aliunde partium, quidam impetus illa reſeret impedimenta, quibus motui reſiſtere ſoluit materia.

Hæc igitur celeritas aëri & ætheri imputanda eſt circumfluo, cujus acceſſu ipſa tota quanta materia in ſe conſiderata non ſolet ad celeritatem cogi, ſed interno etiam adminiculo opus eſt, in ipsâ materiæ maſsâ diffuſo, quod ad majorem fluorem & agendi potentiam pergens, poſt leves præcedentes texturæ ſolidæ externæ diſcontinuationes, vi ſibi viam ad motus majores ſternit, arctius illi materiæ mundi ſubtiliori ſociatum, quæ poſthac junctis viribus ad opus pergunt inſigne.

Hoc patet in materiâ talibus portionibus privatâ, quæ ad tales celeritatis mutationes non facile pervenit, niſi talibus externe accedentibus armetur, ut in ſolidorum merè terreſtrium ſolutionibus videre eſt.

An ex ſimplici materiæ augmento ratione

ſuæ

ſuæ quantitatis vel ponderis poſſit major celeritas fieri, dubitare licet in corpore humano, ubi ſola perpendicularis preſſio locum minime habet, quemadmodum, ubi ex altioribus locis deſcendunt aquæ torrentis inſtar labentes; imo dubitare liceret merito, an aquæ rapidiores fiant per merum quantitatis augmentum, ſed potius niſum & impetum earum majorem eatenus obſervari, quatenus plures ſimul & ſemel ad una loca concurrunt partes aquæ, in majores moles concretæ, quarum ſingulæ tamen partes & minima etiam portio, non majus momentum acquiſivere; ſed ob reſiſtentes alveos, aggeres & oras, illis nimia in mole deſcendentibus & appellentibus aquis, nobis apparent celeriores & rapidiores motus; hiſce accedunt venti, preſſionesque aëris, rarefactionesque cæleſtium & terreſtrium ignium, quæ miris modis hiſce opitulari ſolent operibus; maria enim littoribus infeſta non augentur in quantitate, niſi ex merâ aëris & ventorum preſſione.

Si quantitas materiæ celeritatem adderet, hydropici magis magisque intumeſcentes ex quantitate ipſius aquæ vel ſeri auctâ, neceſſario celeriores aquas factas obtinerent, adeoque evacuationi magis idoneas; ſed hæc natura & ars Medica pernegat.

Extenſio materiæ aucta externo conſpectu mate-

materiam ipſam auxiſſe videtur, quamvis mera ſit fallacia, ab materiæ alius velociſſimæ interventu, ſi hanc tanquam admittendam conſideret in utroque caſu ſcilicet in velocitate & quantitate materiæ auctis ; per me licet ; illud autem non absque motu inteſtino vel extraneo quodam acceſſu ſuccedit.

Secundum præceptum, nempe *ſi momentum corporis ſit majus quam contraria impedimenti vis, id impedimentum removebitur*, ſuo ſtat talo, quamvis hæc non tam facilis ſint applicationis ad menſtruationem, de qua nunc agitur, nam hæc univerſalis non ſpecialis eſt regula, ut poſthac latius patebit ; ex: gr: Virgo hæmorrhagias narium, hæmoptoen &c. obtinet, hinc impedimentum majus eſt circa uterum, quam momentum actionis ſanguinis, valet conſequentia : inde autem non ſequitur has momentaneas actiones æquales circa uterum ejusque vaſa ac alia loca fuiſſe, majoremque reſiſtentiam ibidem reperiſſe quam alibi, ſed potius fervorem vel magnitudinem ictus, ut ait, violentiorem fuiſſe in illud quam in aliud impedimentum, unde fluxus ex ea prodit parte, quæ illi violentiæ impar eſt ; forſan ob ibidem ſtagnantes, ac in motum inteſtinum acrem vergentes humores, vi ſibi viam illis formantes.

Nec ex hac regulâ vis remedii, potius in hanc

hanc quam in aliam partem insistentis, demonstratur, nam medicamentum totam humorum massam aggreditur, ejusque actiones rarissime specialiter, sed universaliter dirigit; ex eadem etiam sequeretur quod pars semel læsa minus semper impedimentum esset momento sanguinis resistendo, nam nunquam eadem soliditate valeret: hinc semel reperta & fabricata via, constans & perpetua in toto vitæ curriculo esset, cujus falsitatem ipsa Medicina & Machina demonstrat.

Si ipsam praxin homo Medicus & naturæ minister adeat, quam ibidem consonam experientiæ judicioſæ reperiet rationem, quæ evidenter demonstrabit intromissa sanguini medela, hanc potius quam illam partem aggredi, illamque potius premere sursum quam deorsum, & machinam ipsam non ab omni latere, sed in quodam tantum determinari.

Certo nullam dabit nisi imaginariam, conjecturalem, verbo Mechanicam palliatam.

Tertium præceptum, sc. *in percutientibus corporibus ictuum magnitudo motui deperdito proportionalis est*, specioſum quid pollicetur, nihil in fluidis nostrorum humorum actionibus declarat, nam & hæ sunt percussiones & ictus rarissime existentes vel contingentes.

Percussio & ictus si fiat, vel ex parte solidâ violentius contracta per expulsionem fluidi con-

contenti ſubitaneam fiet in vicinas partes torrentis inſtar rapti, vel per motus quosdam fluido proprios reſultabit, ubi quædam vehementius exploſæ portiones, in materia antehac latitantes, vi in reſiſtentem vicinam materiam feruntur, ita ut de loco cedere cogatur.

Utrumque opus requirit ſuum adminiculum, ut momentum motus deperditi tollatur, & majus vicinæ materiæ ſit reſiſtentia, ut patet in corde, in ventriculo, in mulierum imprægnatarum mammillis, in inflammationibus &c.

Nullum autem effectum tale ex vaſis ſolidis qua ſolidis ſubſiſtit, ſed ex iisdem fluido tenui cinctis & nobilitatis, quemadmodum illud in hyeme hypocauſta declarant, in æſtate ſol demonſtrat, igne nempe cœleſti & terreſtri fovente & extricante ſpiritus materiæ incluſos, eosdem aptos natos ad nobiliſſimas actiones reddente, ſuo in partes ſolidas influxu, quorum ope poſtea illæ emergunt facultates & functiones, quæ alias langueſcunt.

Ex fluido cum ictus fiunt, illi nunquam exſpectandi ſunt ex materiâ ſibi relicta, ſed ex ejus legitimâ reſolutione, quæ quosdam explodit halitus rarefactos, aut partes rigidas percuſſioni illi proferendæ pares, prout in motu inteſtino patet, ut alibi demonſtravimus, unde ſpirituum quædam ferventior actio proſilit,

quæ

quæ ſi percuſſionis aut ictus nomine deſignare quis velit per me licet.

Hæc autem percuſſio motui deperdito non magis prodeſt, quam pulvere pyrio percuſſus globulus obſervatur in ſoliditate permanens, motum init & tamdiu retinet, quamdiu igneus illius pulveris motus perſeverat, dein ceſſat; ſi ſimpliciter per illam percuſſionem & ictum intelligamus quandam percuſſionem externam, ubi de loco obvia corpora reſiſtendo imparia pelluntur.

Per conſequens nihil ad humores noſtros celociores faciendos tribuerent, niſi pro eo temporis & moræ ſpatio, quo niſus illi fierent & perſtarent niſi ſemper ac ſemper de novo accederet talis percuſſio, quæ etiam ſolida mea, de hac in illam viciniam tranſportare poſſet, ut patet in ventis, fulmine, pulvere quoque pyrio & tonitruante, igne &c.

Hos autem ictus ex mero corde aliisque ſolidis velle deducere merum eſt phantasma, nam hæc ſolida ſpirituoſæ materiæ deſtinata nihil aliud conari, nec efficere queunt, ut in cachecticis, apoplecticis, ſincope, lypothymiâ, paſſione hyſtericâ, quæ non male hypochondriaca dicitur etiam in fœminis, & ſimilibus patet morbis, ubi è contrario bilioſi temperamenti homines ſpiritu copioſiori turgentes, in motus rapidiores partes illas trahere ſolent: idem &

praxis

praxis Medica evincit, quæ in uſum ſpiritu & ſale oleoſo facta auxilia vocat, ut huic arduo operi, ſolidarum nempe partium motui impetrando ſufficiant.

Quartum *reſiſtentiam comparat motui deperdito*, quid ibidem per motum deperditum velit, vix agnoſci poteſt, an hunc requirat in parte antehac mota nunc ſolida? an congeriem quarundam partium ſolidarum, ſibi mutuo firmius adhærentium, molem majorem conſtituentium eſſe ſtatuit? quæ motui oppoſita eſt.

Ut partes fluidæ evadant ſolidæ, motumque priſtinum amittant neceſſum eſt, ut hæ, quæ materiæ majorem portionem conſtituunt, magis appropinquent, minoraque ſpatia permittant tenui incluſæ portioni, quod fieri nequit, ſine quadam jactura & motus debilitatione, ob duas rationes, primo, ob minus ætheris & aëris commercium ad inferiora illius materiæ ſpatiola, occupata a ſpirituali ejus portione, ſecundo, ob ſecluſionem ſeparationemque ſpirituum a ſe invicem, per interventum ſolidæ illius materiæ, quæ libertatem & quandam copulam negat, ita ut ſingulæ illæ portiunculæ ſeparatim & infirmiter res agere cogantur, in detrimentum ipſius liquiditatis maximum.

Quintum comparandum venit cum tertio, datam per vim, quid hic iterum intelligat, non video, niſi ut fieri ſolet in apoſtematibus,

in

in quibus pus maturum per motus inteſtinos redditum, vi ſibi viam facit, poſtquam extricationem & libertatem rigidis illis cuneolis ſalinis confecerit, in catharris, ubi lympha talibus adimpletur portionibus, ex eodem motu prodeuntibus, in inflammatione, ubi ſalino-ſulphureæ acres exercentur vires, etiam ex eadem ſcaturigine prodeuntes.

De ſinu anguli incidentiæ, bella pronunciat Mathematica, quæ in Medicis obſervationibus meræ ſunt nugæ, magno ſæpe partu & ornatu enixæ, ex cerebro faſtu pleno, nam hæc & ſimilia nihili æſtimanda, in praxi theoriam inanem & mere ventoſam conſtituunt, quæ nihil ſolidi noſtræ arti & ſcientiæ conferunt, niſi quod plurimos juvenes & quosdam ſeniores ab egregiis inquiſitionibus deterreant; danda enim erant argumenta, quibus modis hæc fiant, non quomodo hæc in aliis occaſionibus extra machinam noſtram contingere ſoleant & poſſint, ibi enim aliæ plane ſunt circumſtantiæ & opera, quæ ab illâ longiſſime recedunt.

Sextum præceptum & experimentum ſeptimo accedens, nil aliud ſtatuit niſi id, quod vulgariſſimum eſt, in motu & preſſione fluidorum contentorum in alveis mollioribus, quorum mollities prementi poteſt cedere corpori,

ad illam diametralem figuram in ſitu & extenſione alterandam.

Sed an hæc actio a plethora ſolâ derivanda & præſtanda ſit, illiusque poſitio ſufficiat, merito in dubium vocatur, imo pernegatur, quænam enim major conſpicitur vis preſſionis in circumpoſita corpora ipſius fluidi, copiâ ſola liquidi aut motu illius inteſtino? profecto infinitis modis ſuperat hic alteram, adeoque univerſalior eſt legitima ac neceſſaria actio ad illum finem obtinendum.

Plethora enim eſſet perpetua, ut indicavimus etiam poſt finitum menſtruum fluxum, quoniam ſanguinis incrementum non ceſſat, minimumque ejus pondus pro illo fluxu acquirendo ſufficit, maximum etiam pondus non magis in plurimis premit quam minimum, tandem fluor ejus uno eodemque momento variat in quantitate, ita ut hæc ſpatio 24 horarum uncias viginti, illa uncias tres quatuorve exoneret.

Hæmorrhagiæ etiam narium, quæ in junioribus viris frequentes & periodicæ ſunt, præſertim in bilioſis neceſſario hyeme & æſtate eædem eſſent in quantitate, nam hæ ut plurimum ex plethorâ fiunt, ſed hoc contrariatur experientiæ, quamvis mulieres eam non ita agnoſcant differentem.

Octavum & nonum preſſionis ipſius niſum;

& arie-

& arietationem maximam depingit, altitudinis ratio ſi vera ſit, omnes hæmorrhagiæ ex plethora naſcentes æque in viris quam in fæminis eſſent per inferiora, ut anum, penem, pudendum, vaſa, verum multo frequentiores ſunt per ſuperiora ut nares, quam alibi.

Altitudinis momentum ad preſſionem nullum eſſe poteſt in noſtris vaſis, obſtant enim in venis valvulæ, in arteriis conica figura; circumflectiones ramificationesque quæ curſum & preſſionem illam ubique retardant, quæ obſtacula nunquam tolluntur in variis tamen varia.

Poſitâ illa altitudine incumbentis fluidi & compellentis ad preſſionem, quid inde ad menſtruationem explicandam accederet, niſi ut fontis inſtar celerrimi defluueret ſanguis; quod abſurdiſſimum eſt.

Hac etiam conceſsâ, illa tantum locum habere poſſet in vaſis tam anxie ab Auctore depictis, a figura ſuâ obliquâ deviantibus eo tempore, quo menſtruus inſtaret vel jam adeſſet fluxus, per conſequens ibidem collectio plethoræ tantum admitti debet, non alibi, & uno impetu profuſius ſanguis jam altitudine ſuâ premens vaſa, ex tempore extravaſaretur, quod natura ipſa plenarie abhorret, minime enim menſtrua ſenſim coacervantur intra uteri vaſa, neque a reliquo ſanguine decidua deponi poſ-

ſunt, uti olim defendit Veſalius, ſenſui enim hoc communi & circulationi repugnat.

Procera etiam corpora, ratione altitudinis ſuæ, menſtruationi ſubitaneæ & majori eſſent ſubjecta, & humilis ſtaturæ mulieres eam minorem lentioremque poſſiderent, quod nullibi in talibus ſubjectis apparet, ſaltem non cum tali diſtinctione, nam minoris altitudinis mulierculæ fertiliores ut plurimum ſunt grandioribus, imprægnationem autem non facile admittunt niſi menſtruantes &c.

Si ex minori preſſione menſtrui fluxus, hoc ſuccederet, & exinde facilior nutritio fœtus fieret, neceſſario hæc regula ulterius ad bruta minora ſeſe extendet; magis fertilia majoribus, utrisque tamen non menſtruantibus, pergant igitur Mathematici cum ſuis commentis, donec propriis ſaturentur vanitatibus.

Si ex majori altitudine preſſio ſuccederet, major in machina noſtra, omnes proceræ mulieres menſtruis fluxibus detentæ violento quodam niſu quantitatem inſignem exſuperantem, non ſingulis menſibus præberent, ſed ad longius extenderent ſuas periodos, quoniam longitudo & latitudo in illis major moram temporis protractam requirerent, antequam plethoræ ſubjectæ eſſent, quamvis ut illa eludat argumenta, ſubterfugia plurima quærit homo ſolem fugiens, naturam fingens.

De perpendiculari preſſione multa eſſent dicenda, quæ figmento huic refellendo apta eſſent, ſed quæſo in qua parte illa obſervatur perpendicularis preſſio, quæ reſtringi ad hanc regulam poteſt, exceptione omni liberam, venæ enim & arteriæ diſperſæ per machinam, ſanguinem ſurſum deorſumve vehunt, ubinam perpendicularis preſſio ſtricte locum habet? forte in ſolâ arteriâ magnâ deſcendente a corde usque ad eam partem, qua in furcam abit.

An rapidius fertur ſanguis ad pedes quam ad caput, ubi vena in illis ſecatur? an recta dantur vaſa nullis impedimentis interpellata, quæ preſſionis illius altitudinis reſiſtere queunt? an fundus vel baſis alicujus altitudinis perpendiculariter deſcendentis, magis gravitati ſubjicitur, reſpectu ipſius liquidi contenti in vaſe etiam altiſſimo, quamdiu ejus partes a cohæſione ſolida non recedunt? non, ſed tunc obſervatur illa preſſionis gravitas ex altitudine, cum non interruptæ conceduntur viæ, nam *minima reſiſtentia eſt ut quies* ac ab illa quiete ſeu loco reſiſtente ſemper, de novo dimetienda erit altitudo & preſſionis vis, quæ plurimas adhuc involvere incommoditates debent, antequam computationis illius evidentia appareat.

Perpendicularis ſi preſſio requireretur pro fluxu menſtruo, omnes mulieres decumbentes per longum tempus nulla obtinerent menſtrua,

modo morbus hypochondria, aut lienis, aut uteri vasa non occupet &c.

Hisce adjunge, ut notatum, guttatim fluentes menses, qui si a tantâ velocitate ictuum, magnitudine pressioneque laterali mere dependerent, celerius & copiosius torrentis instar fluerent, quemadmodum in hæmorrhagiis narium sæpissime, aliarumque superiorum partium observatur.

Hasce igitur propositiones sive regulas Geometrico-Mechanicas merito pauci habendas aut rejiciendas, tanquam praxi inidoneas B. L. habeat: quippe ministerio naturæ se addicens, nil magis fingere debet quam talia, quæ ficta, dubia, falsa, durius ex aliis scientiis & artibus prolata, & Medicis obtrusa sunt: quæ cum ita ab auctore traduntur, longius consequentiarum examen, quod perstrictum superius transeo, ad fontis menstrui sanguinis originis inquisitionem sedulam properans.

Hujus rei inquisitio ferme nulla a veteribus, Galleno Medicinæ supremo dictatori secure indormientibus instituta est; verum, post Vesalium hujus rei curiosiorem indagatorem; hæc vigere cœpit, hic tamen cum veteribus, non tamen sat firmis argumentis pro utero concludit, desumtis a sanguinis menstrui extillatione per orificium uteri prolapsi, ut putant, cum potius procidentiæ hujus vitium sit in membra-

nâ

nâ vaginæ inversâ, conteſtante Bohnio, & demonſtrante Ruyſchio; a nutrimento, ſecundum illos, fœtui allato toto geſtationis tempore, deciduo a ſanguine menſtruo, ad ipſum uterum depoſito, & enixo fœtu ſub lochiorum nomine profluente; neque hoc argumentum aliquid concludit pro fonte uterino menſtruantis ſanguinis, qui ſæpiſſime ad aliquot menſes, quin imo in quibusdam toto geſtationis tempore ex uteri collo absque ſanitatis detrimento, notante id & Plazzonio de part. generat. cap. 6. lib. 2. fluit, etiam absque abortu, qui ſi eveniat ex menſtruorum eruptione, fluxum hunc ex utero tunc temporis proruere, diſtincte nequaquam evincit, ut putat Auctor pag. 28. quo caſu humorum acrimonia, motum inteſtinum circa uterum ejusque glandulas inducens, ſanguinem hunc acrem factum ſæpius celerrime magnâ copiâ pellit, quæ acta placidæ embrionis vegetationi adverſatur & placentæ cum utero contiguitatem ſolvit, imo ſi hæmorrhagia vel ex aliis partibus ſit frequentior copioſiorque, materiam nutritionis fœtui ſubtrahendo hujus nexus ſolvitur, unde ſæpius abortivo modo mortuus ejicitur; neque tandem copioſiora, ſi conſideremus, vaſa ad uterum quam ejus vaginam excurrentia, prærogativam effundendi menſtrui ſanguinis habent, quoniam hæc potiorem uſum habere videntur,

cum uterus ingravidatus incraſſeſcat, atque extendatur.

His rite perpenſis pro utero concludere non poſſum, potius ratione & experientiâ inſtructus evidentiſſima in ipsâ vaginâ fontem dictum quærens, in qua tempore menſtruationis motus humorum major eſt, ex pruritu &c. ab Etmullero tom. 1. p. 166. a. notatis manifeſtandus, quo ſpirituum affluxus major & tandem copula accerſitur ad acredinem tranſiens, glandulas irritans, quibus aptiora redduntur illa loca ſanguinem hunc effundendi, quod cadaverum fæminarum ipſo tempore menſtruationis ſtrangulatarum, ſectio probat, qua quidem pudenda cum uteri collo menſtruo fluore conſpurcata, uterum autem mundum, ſiccum & arcte conniventem in unico ſubjecto obſervavit Carolus Piſo, & in duabus Bohnius; quarum primum infanticidæ corpus erat, quæ procul dubio jam pepererat, adeoque ex hoc exemplo manifeſtum fit quod in matribus æque ac in virginibus menſtruorum fluxus ex vaginâ ipſa dimanat: quibus adſtipulatur Ordlob. diſſert. 19. §. 7.

Quæſtionem tandem pag. 29. inter Medicos in hæc usque tempora agitatam, an a venis an ab arteriis menſes prodeant, brevibus componere, per preſſionem ſanguinis majorem in arteriolis capillaribus quam in venis conabor;

bor ; ac salvâ tamen celeberrimorum Medicorum auctoritate , & judicio, demonstrare pro viribus intendam, sanguinem hunc è vasis sanguiferis qua sanguiferis non promanare , multo minus ab arteriis ut cum pluribus statuit Freind , quoniam sanguis omnis in vas reseratum affluens profluere deberet , ob impedimentum remotum , & cum plurima arteriolarum sint capillaria vasa affecta, necessario sanguis copia sua torrentis instar prorueret, quem tamen lente & guttatim promanare multiplex edocet experientia.

Multo minus ex venis , per diæresin reserandis ut volunt Bohnius, Ordlob. cum pluribus veteribus & neotericis, quia sanguinis in his motus ad partes non datur , cui jam in iis existenti resistentia multo minor est, versus cor quam ad latera vasorum , quidquid hic dicant de tortuosis illorum ambagibus , qui non solum circa uterum, verum per totum corpus reperiuntur.

Denique si è sanguiferis vasis immediate proveniret fluxus, semper & totus quantus esset sanguineus, quem tamen præcedit & subsequitur fluor quidam albus , quo sive lymphâ mucaginosâ perpetuo irrigatur vagina , prorumpente è glandularum vaginalium vesicularium vasculis sanguineis interius ornatarum vasculis excretoriis , quæ in vaginam hiantia organa

ſanguinis menſtrui excretoria eſſe ſtatuere non vereor, in his enim minima reſiſtentia eſt, quoniam naturaliter pro lympha excernendâ laxe tantum connivent, & dum ſanguis orgasmo quodam, a ſpirituum copioſiori influxu & acrimonia lymphæ, præſertim vaginalis tempore menſtruationis turgeat; hæc copioſior iis horis profluens, ſanguini partim è glandularum cavitatibus ipſi per propria vaſa dilatata per motum inteſtinum humorum viam aperit, hujus enim momentum multo majus eſt quam humorum copiæ: & hinc rationem advertere nequeo ob quem a Charletoni & Baylei ſententiâ recedendum ſit, ſi hæc vaſa ipſorum tubulos conſtituunt, (in verbis enim non hærendum) ex quibus dicto modo dilatatis facile poſt actus finitos ſeſe contrahentibus commodiſſime fluere poteſt ſanguis, absque ullâ læſionis ſpecie, nam in ſanguiferis ſaltem cum minima diæreſi admittenda eſt, quæ conſolidanda eſt, & cui ſimul cicatrix obducenda venit licet minima, a qua reſiſtentia major ſenſim poſt ſingulas menſtruationes ut exurgat neceſſe eſt, quæ in vaſis noſtris metuenda non eſt.

Nunc ea inſpiciamus quæ auctor cap. 6. diluenda proponit argumenta contra plethoram, ab aliis præſertim Charletono, & ſic dictis auctori fermentorum patronis præeunte in hoc negotio

ptio ipſum Bohnio C. A. progim. 19. hic
aim mos apud plerosque valet, ut ſuos defen-
ant animi ſenſus, vel ſaltem idola ſui fori &
ibus omnibus modis veneranda & adoranda
roponant.

Macilenta primo occurrunt corpora men-
ruis abundantia, per conſequens plethorica
o ipſo nominata: macies ſæpius ex tenui &
aacra vaſorum texturâ & adipoſorum defectu
roducitur, quæ nihil commune cum ſangui-
is & humorum maſsâ habet, utpote qui in am-
lioribus ductibus verſantur; ſed ſpirituoſa &
ars in talibus prævalet ſalina extricata, quæ
acilius in motum inteſtinum deducitur & ex-
nde ut plurimum abundanti & frequenti ex-
ulſione gaudet, prout in appetitu graviori,
putatione frequentiori, in urinâ copioſiori,
lvi dejectione leviori, aliisque corporis acci-
entiis patet, quoniam defectus oleoſæ ſeu pin-
uioris materiæ haud reſiſtere illi acri motui
ellicanti fibras glandularum, earumque vaſo-
um ſolet; unde etiam tales lactantes men-
truantur.

Macies autem, quæ fit ex ipſa contentorum
el ſanguinis eraſi depauperata, ubi nempe pal-
or aquei prædominii ſignum denunciat, ubi
orpor ſpirituoſæ portionis in materiâ deficien-
is indicium præbet, ubi languor toni viſce-
um & orgasmi humorum ſublationem demon-
ſtrat,

ſtrat, plane aliud quam velocitatem, quam ſanguinis boni pleonasmum indicat, attamen in talibus ſubjectis menſtruationes obſervare licet, plerumque autem pallidiuſculo aut albicante humore copioſius confluente.

An vero menſes, hi nominari debent fluores albi, illud ex tripode pronunciat noſter obſervationum ſuarum hiſtoriâ ſecundâ, merito menſium nomine venire, fluunt enim per eadem vaſa, lymphæ origo ex ſanguine & ejus pars potior ſerum eſt, ergo benè reſpondit, quamvis ex aliâ causâ procedant; & alterationis inſignis participes facti ſunt; tandemque fluxus illi ſæpius in quibusdam mulierculis perpetui ſint, prout, purulentæ materiæ liquidæ egeſtio ex ulceribus ſcorbuticis.

Scriptorum maxima pars monente noſtro Auctore pag: 32. *unam menſtruationis deficientis cauſam ſtatuit plethoram* illuſtratque hoc phænomenon, nimiâ, qua diſtenditur in iſchuria veſicali, veſica urinâ; ut Bohnius loc. ſæpius cit. quem ſequenti paginâ tacite refutat, pluribus haud impar Atlheta, contrariam defendens ſententiam, nomina ſcriptorum omittit promptior alibi in eorum recenſione, modo Gallenum, modo Hippocratem ſui commenti Deos obtineat, hinc opus ſuum concludens ait, *itaque*

rue non leve præſidium huic operi acceſſiſſe exiſti-no, quod ubique fere ſententiæ meæ Vindicem & Patronum adduxerim HIPPOCRATEM.

Sed cum demonſtravimus plethoram motus menſtrui ſanguinis nequaquam, ſed potius mo-um quendam a portionibus materiæ, fermen-o dicto, inductam eſſe cauſam, longâ refu-tatione & ſententiarum examine non opus eſt, traſſam materiam hic illic, etiam pinguem quaſi glebam poſſe aberrare & abripi ad vaſo-um oſculula, ut impedimento motus ſint, quandoque obſervant Chyrurgi & Anatomici, ta ut non opus ſit ad ſanguinis lentorem re-currere, ad cauſam illius effectus elucidandam & proponendam, nam hæc ſæpiſſime contin-gunt in fluidiori ſanguinis ſtatu, quæ *venæ-ſectione, tolli* inquit Bohnius *res eſt quotidianæ obſervationis*, lentor autem ſanguinis nunquam hac tollitur venæſectione.

Abunde ſatisfactum objectioni tertiæ, quæ demonſtrat plethoram æque ſanguinis eruptio-nem per ſuperiora pulmonum, ſed præſertim cerebri vaſa utpote teneris tunicis inſtructa &c. debere evacuari, quam per inferiora uterina vaſa, ex uteri datâ & deſcriptâ texturâ & ſitu putat, quo inclinat Bohnius cum Malpighio; ſed ea in Viris æque ac in Fæminis locum ha-bens, nihil ad convincendum tradit, niſi ple-thoræ nullus effectus in illis, in his tantum

valens

valens ſit; ea porro, quæ de indureſcentiâ & tenacitate, aut intenſius creſcente plethorâ ſtatuuntur, gratis, ex merâ contemplatione, vel caſibus fortuitis vel ordinariis morbis utrique ſexui communibus, ſtatuuntur.

Denique hiſce ſubnectit diluendum argumentum, quod contra plethoram movetur deſumtum a brutis viviparis fœtus plures alentibus, absque præcedaneis menſtruis, imo in nonnullis cum ſatis copiosâ lactis ſeparatione per aliquod ſpatium temporis: quod Bohnio magnas turbas movet, & Auctor ex *hac re ſatis obſcurâ* ſeſe extricare intendens ſtatuit p. 35. *bruta illa geſtationis tempore eſſe voraciora, & minus evacuare*; quod ſi contrarium, ut ſæpe ac ut plurimum contingit, obtineat, unde plethoræ ſuæ originem quæret? mulieres enim lactantes menſtruis non deficiunt, utero gerentes non ſemper iisdem privantur, nec alimentum ſolito plenius accipiunt, imo ſæpius ciborum faſtidio laborant; plethoricæ tamen cauſæ ſuus debetur effectus, hoc enim ratio ſuadet Mechanica, non experientia Medica confirmat.

Ex falſa hypotheſi ſimiles concluſiones petit, utpote quas adeo firmas, claras atque diſtinctas eſſe colligit, ut ſcepticismo ipſi omnem viam præcludant, & præſertim illi, qui ex meris verbis rem demonſtratam in naturâ exiſtentem

pro-

pronunciat; de re enim nullus, de explicatione ejusdem erroneâ omnis, dubitat.

Non opus est reliqua de periodis menstruationum examinare, nam ea ex præcedentibus corruunt, quoad causas, non quoad effecta, ventilata & ad lapidem lydium examinata, hæc enim ut omnia ex suo fonte plethorico haurit & proponit, a nobis impugnato (cujus tamen existentiam in omnibus negare nolo, quamvis rarior existat) & computatione diariæ recensionis materiæ perspirabilis dato, gratis assumto, superstructâ exornat; ut ex superioribus liquidum est, adeoque multa hic & alibi transimus, ne repetitionibus continuis nos immergentes tædio Lectori veritatum avido simus.

Ut luculentius eminentiusque in theatro mensium idolum plethoricum exhibeat, a rerum quarundam, tam microcosmi quam macrocosmi periodica revolutione recurrentium motu argumenta adfert, cap. de period. plurima, quorum primum a *febris intermittentis*, *parum explicatæ & intellectæ nisi a Mechanicis paroxysmo & curatu*, desumit; cujus causam *a sanguinis lentore, cum Bellini theoriæ Medicinalis inventore primo, deducit*; ut egregio & vano satis titulo, jure societatis constrictus; pronunciat.

Multa theoretice dicta & de febribus tradita, pauca vel nulla utilitati practicæ accommodata passim prostant; homines enim, qui

menti

menti ſuæ indulgent, generalia quædam auda-cter compilant; eaque lectoribus devoranda tradunt ſuis, quæ eos allicere & detinere tan-tiſper ſolent, donec contrarium experientia practica ejusque collatio judicioſa evincat.

Si lentor ſanguini accedat, is ex ipſius ma-teriæ craſſitie & velocium ſpirituum defectu, vel ex graviori portionum tenuium in ipsâ ma-teriâ immerſione producitur, ut ſeſe extricare nequeant, & ſui juris fieri non poſſint.

Si ex priori ſtatu ſubſiſtat lentor, neceſſario morbus alius ſuccedet, non febris, adverſatur enim febrili motui talis ſanguinis lentor, ap-tior ad morbos Chronicos & tardos, adeoque talibus ſuperveniens febris bonum, quod plu-rimis in caſibus, tetano, hepatis morbis, & nervorum affectionibus, notavit in Aph: Hip-pocrates, nam februat, id eſt purgat per mo-tus inteſtini majoris inductionem, verum ſo-lutionis lenti illius ſanguinis Auctorem.

Si ex poſteriori emergat ſtatu, fieri poteſt, ut portiones illi materiæ craſſæ incluſæ in actus quosdam majores redigantur, ut vi ſibi vias quærant, tandemque ex motu febrili acqui-rant, non autem ut in extremis vaſis capilla-ribus hæreant lentæ ſanguinis partes, orificia canalium obſtruentes, ſanguini trajectum nul-lum vel ſaltem difficillimum concedent, ut noſter vult. p: 40.

Vera

Vera febrium & lentoris maſſæ ſanguineæ (ſi quis revera eſt) cauſa conſiſtit, in collectione acrium particularum, ex portione ſpirituali materiæ emerſarum, quæ inflammationem alicujus partis ſolidæ pariunt, portionesque ejusdem figuræ atque actionis tanquam effluvia maſſæ ſanguinis & humorum communicant; hinc, ex acceſſu talium corpuſculorum, primo, turbæ in motu ſanguinis ſuccedunt, dein, ejus materia quodammodo a priſtino ordine & ſitu ſecedit, tandemque partim craſſeſcit, partim irregulariter tenues liquidiores partes, aptiſſimæ motui, febrili ſubſtantiæ innatant; quemadmodum innumera experimenta evincunt, ubi liquida liquidis mixta ſe mutuo turbant.

Hujus ſubſtantiæ acris major minorve liquiditas aut velocitas, multum actionibus, periodis, & febrilium effectuum paroxismis, tam intermittentium quam continuarum febrium, contribuit, nam utrarumque eadem eſt ratio, ceſſante enim inflammato foco, ceſſat febrilis motus, vel ut ex inflammatione abſceſſus varii oriuntur, etiam ſymptomata alterantur, morborumque ſucceſſiones variæ obveniunt, prout etiam ex inflammatâ parte gangræna, ſphacelus reſultare poſſunt; ſic & violentiſſimæ ac lethiferæ prodeunt affectiones corporis, violentam ſubitaneamque minitantes aut producentes ruinam.

Ex primo talium portionum acceſſu, irregula-

gularis cum ſit facta materia ejusque motus, vaſa inæqualiter premuntur ac hic illic capillaria obſtruuntur, unde frigus, ſenſim autem per motus continuatos, attrita & decuſſa materia copioſam talium congeriem permittit, earum vim & momentum auget, non tamen ex quantitate auctâ, ſenſum calidum inducit, tandem impetu in vaſa capillaria facto removet obſtacula, calore & ſudore apparentibus.

Exinde periodorum & paroxismorum intervalla facilem ſui acceſſus & receſſus notionem præbent, prout enim hæc materia portionibus illis imbuitur, momenta actionum recurrunt, quæ, ubi deficiunt in foco ſuo, & in materiam ſanguinis ſufficienter trajici nequeunt, ceſſant.

Icterus febribus acutis ſuperveniens, finem illis imponit, ex lentore ſanguini inducto, hæc tamen ſucceſſio non bona vel mala eſt, ex ejus ante paroxismum ſeptimum, vel ſeptima, aut nonâ &c. die ortus, ut vult Hippocrates Aph. 62. & 64. Sect. IV.

Febriles periodi ubi prolongantur, & paroxismorum intervalla cum extenduntur, indicia lentoris ſanguinis ſupervenientis præbent manifeſta; nam febris quotidiana in tertianam degenerans, materiam agnoſcit lentiorem, & ad motum tardiorem, tertiana in quartanam abiens magis & magis lenteſcere ſanguinem denun-

denunciat, & maximè quidem ubi hæc in icterum, ſchirrum, hydropem vel marasmum deviat.

Febris hectica purulentam agnoſcens materiam auctorem, poſt paſtum intenditur, ex novo effluviorum & Chyli magis ramoſi & velocis acceſſu, unde omnia renovata ſicci caloris redeunt ſymtomata, quæ retardantur, quamprimum appetitus & alimentorum pro maximâ parte ceſſat aſſumtio, ſuperveniente lentore & corruptelâ ſanguinis.

Lentor igitur maſſæ ſanguineæ eſt nimium continuatæ febris tendentia & finis, quæ portiones ſanguinis velocioris conſumunt, materiemque motui ineptiorem relinquunt, quod mille modis unusquisque in Medicinâ practica vel leviter verſatus demonſtrare poterit.

Sed demus lentorem Bontekoe, Bellini, Auctori noſtro adeſſe, quænam erit ratio & cauſa illius lentoris? an ſponte venit? quare potius colliguntur illæ partes lentæ in vaſis capillaribus, quam circa pedes & inferiora loca, in quæ preſſio ex altioribus major eſſe deberet; & ex quibus non tam facilis pateret aſcenſus, neque revocatio, prout in ſanguinis ſeroſi lentore, poſt fugam partium tenuium ex febribus acquiſito patet? ubinam & quamdiu hærent & obſervantur in illis minoribus ſubcutaneis vasculis, ut demonſtratione & Mechanicâ ratio-

ne ſuffulciantur? nullibi enim apparent circa ſuperficiem & ambitum corporis, nec frigus manifeſtatur in extremis partibus niſi invadente paroxismo febrili, & quamvis nulla veſtigia illius infarctus vaſorum capillarium appareant, redit frigus & calor, eodem modo ut periodicæ dolorum exacerbantium & remittentium revolutiones, in inflammatione & vaſorum corroſione.

Hinc non ex tali incremento vel fluidi redundantiâ in majoribus vaſis, ſed ex ejus malignâ diſpoſitione & motu inteſtino, prout in aliis dictum, motus inducitur febrilis: ut illud magis certum eſſe probetur, æſtatem & hyemem obſervet Medicus, ubi ex acrium in aëre æſtivo molecularum obvolitantium figurâ celerrimos obſervabit motus in quibusvis liquidis, ſtatum ſuæ figuræ ocius mutantibus; in Hyeme vero eadem in motu & ſtatu lentiore verſantia, conſtantius perſeverant in ſuâ figurâ & actione, ſic enim febres æſtivales ſunt morbi rarius hyemales, niſi ubi hyems æſtati aut veri ſimilior fuerit, id eſt calidior ſolito extiterit; Zephyro molli etiam flante.

Calorem æſtivum auctorem ſtatuere lentoris ſanguinis, eſt gratis aliquid petere, prout pleraque ſunt præcepta aut Mechanicorum axiomata, nam inde ſequeretur omnes calidarum regionum incolas, lentore ſanguineæ maſſæ &

febri-

febribus ſemper debere laborare, quod falſiſſimum eſt, ſunt autem quædam regiones, ſunt quædam tempora, ſunt quædam tempeſtates, quæ portiones quasdam vehunt & dimittunt miasmata dictas, noſtram machinam qua liquidam qua ſolidam validius afficientes, unde motuum & formarum qualitates vitiantur, poſtmodumque febres, morbi, ſymtomata inde oriuntur &c.

Quæ cuncta in remediis ulterius eluceſcunt, nam adſtringentia, motus inteſtinos ſedantia (abſorbentia dicta) acidum acre temperantia, inflammationi reſiſtentia, imo lentorem ſanguini inducentes mucagines, gelatinæ, emulſiones, julapia, acida, & muriatica blanda, ſunt utiliſſima antifebrilia.

De evacuatione periodicâ in viris, obſervatâ a Sanctorio & allata pag. 41. a noſtro ſcriptore, fides ſit penes Auctorem, ex hoc autem aphorismo Martinus Liſter rationem menſtruorum eluceſcere aliis obtrudit, ac ut dicti ponderis aliquid addat *eadem ferme viris ſymtomata antecedere, quibus fœminæ laborant, menſtrua jamjam paſſæ*, ex ſe fingit, quis enim hæc obſervat? an inſignes hanc obſervationem Medici prætermittunt, exceptis Mechanicis? denique quare in dies Viri de hiſce ſymtomatibus & evacuatione non conqueruntur? quidvis enim, ſomniare & ſomnia ſua literis man-

dare homo gloriolæ cupidus poterit, de ſe ſuisque Chimæricis imagunculis obſervationibus dictis pronuncians; ſcepticus enim factus jure ipſo humano dubito ſi rem ipſam ad æquilibrium revocem, cui uſui inſerviat auctoritas hujus illiusque ſcriptoris in arte noſtra Medica, conſtans enim ſi ſit experientia, ſponte ejus veritas, etiam in omnibus vel plerisque ſaltem hominibus, obſervatur, etſi nullus ejus experientiæ exſtitiſſet ſcriptor, naturâ illud opus monſtrante, ſi vero de raro contingentibus hæc ſint obſervata illa parum aut nihil ad Medicinam conſtruendam ſpectant vel faciunt, non magis quam mola & monſtrum ad fœtus bene conſtituti cognitionem; hoc enim eſt vitium plerorumque hominum, pro ſuo foro militantium, ut compilent & corripiant omnia, quæ ſuæ hiſtoriolæ ſtabiliendæ & fulciendæ conveniunt, belgis dicitur *waſſe neuſen drayen.*

Illud idem pronunciandum *de bilis ſecretione majori a ſanguinis redundantiâ*, quod pernegamus, hinc enim ſequeretur quod omnes mulieres, ſaltem inſtante menſium fluxu, debeant eſſe bilioſæ, utpote redundantes ſanguinis plenitudine, ſecundum ejus hypotheſin, quamvis adipem, ſemen, lac, ſerum aut lympham copioſius aut parcius in ſuis vaſis colligi obſervemus, pro conſtitutione illorum & eorum numero majori vel minori, inſuper hæc defi-

cere

cere ex cauſis contrariis, nempe ex obſtructione, exſtirpatione, anguſtatione, conformatione indecenti: imo ſi verum hoc foret dictum, inſtante catameniorum proruptione, ſimul bilis flueret inſignior, ejusque effecta ſtatim apparerent conſpicua in tali corpore, quod contrarium viſitur, in palleſcenti ſeroſitate plerumque verſantibus.

In gulæ deditis ſemper redundantiam ſanguinis oriri, ſi non in plurimis falſum, ſaltem valde dubium eſt, nam ſæpius vitium & morbum infert nimia voracitas; nec cibi delicatioris frequentior uſus, in machinæ commodum abit, ſed potius ei nocet; potius hic vaſorum conformatio, humorumque orgasmus varius in conſiderationem maximam trahendus, utpote ex quibus alimenta limitatam ſuam recipere & retinere ſolent figuram, molem, & motum.

Plura, cap: Auctoris de periodis, dubia quin imo falſa deponit, quorum mentionem facimus ſuperius, prætermittin us enim ventillata; non minus in phænomenorum menſium explicatione, plethoræ ſuæ addictus, quam in cæteris ſeſe ſiſtit; *plethorico* enim *diſtendi ſanguine vaſa uterina, inſtantibus menſtruis, obſervaſſe Anatomicos de Graaf & Higmorum, qui fæminas menſtruales ſecuerunt* ſcribit pag. 47. ſed huic experientiæ aliorum virorum experientiam oppono Veſalii nempe & Bohnii, ille, nul-

lam se inter uteri vasa & reliqua ratione intumescentium venarum disparitatem unquam reperisse, ingenue fatetur, & hic prominentias (quas notat Higmorus) in duarum menstruatarum cadaveribus litem hanc dirimentibus, non observavit; neque alii poterunt, quoniam ipse ille fluxus ab utero non prodit sed ex ejus collo majori, fontis hujus originem ruspandam esse mecum sentiunt Etmullerus, & Bartholinus Anat: reformat: lib: 1. cap: 28. &c.

Quod, de capitis dolore, circa progressum mensium majori refert, ob rationes, si Diis placet, Mechanicas, illud plethoræ repugnat jam declinanti per effluxum; idem de vesiculis pone aures a Paulino observatis, ac de clavicularum tumore a Baglivio, in medium allatis sentiendum est, nam an sanguineæ hæ erant vesiculæ, an vero serosæ ? tumor ille clavicularum, an ruber, an pallidus exstitit ? nam hæ colorum apparitiones, rationem præberent claram, circa negatam aut admissam plethoram; quamvis tales historiolæ flocci pendendæ sint, & tales inter monstrosa & abberrantia naturæ opera numerandæ veniant.

Confuse rem tractans, ex sanguinis redundantiâ, nunc dolorem inducere gravem, nunc stuporem & hebetationem sensus, nunc negatam spirituum influentiam promiscue invocat,

quæ

quæ quomodo cum immediate præcedentibus cohæreant obſervatis in inſtante fluxu; *æſtus ſcilicet dolor*, *inflammatio*, *cephalalgia* producta ſecundum auctorem ex intento ſanguinis momento, calorem intendente, humorum attritionem augente ex quantitatis & velocitatis in ſanguine augmento; etiam febriculam parientе; judicet æquus rerum æſtimator.

Hæc ſi adſint, manifeſta motus inteſtini erunt indicia, conteſtante Etmullero loc. ſæpius cit. quæ ſi quis negaverit etiam omnem motum inteſtinum abeſſe, in fermentatione, efferveſcentiâ, putrefactione, audacter dicat, quamvis, hæc quomodo inter ſe cohæreant effecta contraria ex fundamento plethoræ, videat Mechanicus, ſi enim calor & attritio ſanguinis ſint effecta pleonasmi ſanguinis, illa univerſalia & per totum corpus ſparſa eſſe deberent, cum rubore faciei, diaphoreſi ſiccâ, vel humida auctâ, pruritu, ſenſu aucto non obtuſo, ſanguinis non ſtillicidio, ſed profluvio violento &c. ſed hæc non viſuntur, ſaltem rariſſime apparent.

Verum eſt, aliquas virgines & mulieres pati, ſed plerasque alacriores fieri ex illo fluxu, etiam inſtante; alias alia perpeti & ſubire commoda vel incommoda, prout machinæ illarum, ad motum & impetum illum ſuſtinendum major minorve fuerit aptitudo; pleraque

autem, ſive doloris, ſive læſionis, ſive morbi cujusdam effecta, quam maxime in lucem prodeunt, poſt menſtruationes in vetulis ceſſantes, a fictâ illâ plethorâ liberatis, teſte experientiâ quotidianâ, quamvis etiam nonnullæ tunc temporis varias ſubeunt affectiones.

Ut plethoræ quidvis naſcenti adjungat, etiam perſpirabilis materiæ retentionem tanquam cauſam ipſius ſtatuit grandem, ſed illius vanitatem alibi oſtendimus; quia ſeroſa ſanguinis pars & lymphatica, non ſanguis ipſe qua liquor rubicundus perſpirat, niſi in caſu extraordinario & rariſſimo, prout aliqui Medici & inter eos meus olim Præceptor ſummopere æſtimandus, indefeſſus naturæ Ruſpator D. Jacobus le Mortius curioſam vidit hiſtoriam, in viro ſudoribus ante hac defluente, ab iis per frigidorum forſan abuſum curato, dein recidivam violentiſſimam & lethalem patiente.

Demonſtratione inſuper haud parvâ indigeret, quomodo ſanguis, eo ſpatio, ſimplici acceſſu & receſſu ſeroſæ illius perſpirabilis materiæ, creſcat & decreſcat, imo an hæc materia, ſanguis nominari poſſet? nam idem eſſet, ac ſi aquam ſimplicem, tinctum ſanguinis colore rubro totum hocce liquidum in merum ſanguinem converſum aliquis pronunciaret vaniloquus, unde non male applicat Sanctorii, ſi

Dis

Dis placet, obſervationem, de menſtruâ virorum periodicâ evacuatione, *per urinam paulo copioſiorem & turbidiorem*; credat, qui vult, hæc tamen plethoræ debentur ſuæ: ſed cur hæc non ipſe obſervavit Auctor, ſi vera ſint & generalia hæc in viris effecta? forſan ſe hac in parte Virum profiteri erubeſcit, ideoque potius in alius nugatoris verba jurat, ut idolo ſuo faciat fidem, plurima enim protulit Sanctorius, ut ſibi gloriam captaret, & ſusque deque in ſuam converteret hypotheſin firmandam, ut & noſter, nihil, ſedulus curioſæ vanitatis ſuæ Ruspator, omittens, repetitione, tanquam crambe biſcocta, cordatos Lectores enecat.

De ſororiatione mammarum in puellis, tanquam experto credas Roberto, ſaltem fides ſit penes Auctorem quævis fæminea perluſtrantem, alterum Sardanapalum, inter mulieres forſan viventem & pro tempore verſantem, earum potius quam ſuarum actionum conſcium, ita pronunciantem pag. 50. *ſe noviſſe inflatum nonnullarum ventrem, ut plane Tympanitica viderentur, inſtante fluxu, quod unde deduci queat niſi a plethorâ, haud videt* Auctor oculatiſſimus.

Sed an plethoræ tam ſubitanea eruptio & apparitio? an in momento illius temporis hæc generatur? an ſanguis ſuperflue redundans in corpore tam cito reliqua deſerit loca, ad ventrem

trem infimum ſolummodo ruens? an inſpector novaturienti ingenio armatus, pallore apparente in facie puellarum, ventrem exporrectum cum rubore ſanguineo obſervavit? an ſanguis inchoante fluxu torrentis inſtar & quidem admodum rutilans & fragrans prodit? ut credo ſaltem nunquam hoc mechanicæ demonſtrationi ſubjiciet.

Illud autem demonſtrat ſpeciem motus inteſtini extraordinarii, qui per acceſſum cujusdam portionis ſpiritualis inducitur, quæ ſive ex ipsâ materia attritâ & decuſsâ, ſive è vaſculis minimis, tenuiſſimâ illâ portione nobilitatis prodit, eam eo tempore copioſius dimittentibus in vicinos humores, ad motum & nutum illum cogendos, parum refert, dummodo ſigna intumeſcentiæ reliquorumque in puellis accidentium ex illo reſultant opere, ut alibi diximus.

Optime ex antro pronuncians trophonio, ebrietati menſium inſtantium ſymtomata comparat pag: 50. ſed quid ebrietas cum plethorâ commune habet? nil niſi ut vinum, vel potus quicumque fermentatus augeat motum, non copiam ſanguinis, quod confirmat rationes, de motus inteſtini neceſſitate datas.

Reſtat ut nunc tradamus & demonſtremus ea, quæ in ore & calamo noſtri Auctoris, ad nauſeam usque, verſantur, *puellas nempe ſecundo ſeptenario inchoare & eas ſeptimo ſeptenario*

rio ſuos fluxus menſtruos terminare ; cujus hypotheſeos infirmitatem ſupra exhibuimus, attamen poſito, non conceſſo illud naturaliter contingere debere, nec alias poſſe ; rationes experientiis enixas illius phænomeni tradere, absque plethoræ fictitiæ invocatione, conabor.

Machina humana tenella, ad pubeſcentiæ levioris terminos usque, mollis, flexilis & aquea eſt, inſtar omnium aliorum corporum vegetabilium, quæ ſenſim ad ſuam magnitudinem, extenſionem & perfectionem tendunt : in eo ſtatu fibræ omnes patentiores magis perviæ & perſpirabiles ſunt, quæ facillimè humores, magis eo tempore ſeroſos admittunt & dimittunt, per omnes poros, canales, tubulos, utpote minus reſiſtentes actionum etiam leviorum momentis.

Lubricitas vaſorum, ſeroſus humorum ſtatus, villorum flexilitas, ubi motui illius machinæ vegetativo ſuccurrunt, ſimul loculos extenſos per illam vegetationem replere cogunter, quod fieri nequit niſi per materiam quandam ſatis tenacem & glutinis inſtar balſamicam, ſpirituali portione, minori in quantitate, inſtructam, quæ in eo ſtatu minus excernitur ex materiâ debilius attritâ, minus oleosâ, magis aqueâ.

Illud teſtantur omnia vegetabilia immatura

& te-

& tenella, in quibus aquæ multum, olei & ſpiritus parum deliteſcunt, imo ipſæ urinæ humanæ, ex talibus tenellis machinis deſumtæ, parvam admodum copiam olei & ſalis largiuntur volatilis, ut & earum ſanguis; idem teſtantur catuli integri animalium, in deſtillationibus Empyreumaticis.

Morbi talium idem redarguunt, utpote non tam ad inflammationem partium, proclivium, quam ad malignos morbos, gangrænam, ſphacelum, ſcabiem, peſtim, &c. niſi adultiores vel bilioſiores exſtiterint, aut ſolidiorem vaſorum conformationem ſolito denſiorem eâ in ætate tenellâ acquiſiverint, quæ exceptionem hujus obſervationis merentur.

Per fibras & vaſa non ſolum hic craſſa conſideramus tegumenta & vaſorum majorum tunicas, verum etiam minimas fibrillas, & vaſella fere viſum ſubterfugientia in ipſis tunicis & glandulis, in quibus exiliſſimæ nidulari ſolent materiæ fluidæ, hoc tempore etiam ſeroſiores, adeoque impetui magno faciendo impares.

In pubertatis flore ex materiâ copioſius congeſtâ, ſenſim firmiori redditâ, æque in fluidis quam in ſolidis partibus durities creſcit (ut ſuperius circa oſſa ex Kerckringio notatum) cum duritie quadam ſolida, unde anguſtiora fiunt vaſa & ſimul retinendæ & ſubigendæ materiæ fluidæ conſtantiora, cum totius machinæ decore, &c. Lubri-

Lubricis igitur & mollibus ſeroſis fugâ permanente ſuâ, oleoſis & aliis tenacioribus injiiuntur vincula, quibus coercita ope fluoris & reſiſtentiæ magis ac magis attenuantur, in portione ſubtiliori accreſcunt, momentaque majoris actionis acquirunt, ut ſenſui ac motui majori tandem perfectiori, maturitatem ſuam nunc adepta, inſerviant.

Illo ipſo tempore vigor conſpicitur, poſtquam diluens ſerum non tam potens adeſt, ut ſpirituum vim intercipiat; tunc enim in ipſa maſa ſæpius fit arietatio, haud raro cum aperturâ & rupturâ eorum minus reſiſtentium, reſultans ex copiâ illarum portionum materiæ antehac immerſarum, nunc per fortiorem attritionem emerſarum.

Exiliores autem partes, cum anguſtiſſimos poros & canaliculos in glandulis petant, neceſſario hæ, tenui ſua ſubſtantiâ redundare tantum faciunt illa loca, vaſellaque inflari ad immeſcentiam quandam partium minimarum, quæ vaſcula continentium, coguntur, quæ poſtmodum aut ſua effundere neceſſitantur, aut vicina loca comprimere & anguſtare, quod ſemper in motum proxime adjacentium, dein commotiorum humorum redundat.

Hi ſpiritus aut hæ portiones ſubtiles, natæ quadam contemperatione, ut ita loquar, materiæ ſubtiliſſimæ aëris, ſalis irretiti in materiâ,

teriâ, ad oleoſam naturam accedente, ſenſum & motum cum colore interno augent, textu-ras in fluidis majus ſpatium exigentibus replen & diſtendunt, tandemque magnitudinem ictuum & niſuum materiæ accelerant, ut vaſa minu reſiſtentia locum ſuum, pro fluxu menſtruo in mulieribus, hæmorrhagiis in juvenibus ſc: ce-dere cogantur: in flore ætatis hæc accreſcere debent, ob repletionem majorem humidi quod adhuc ex tenella ætate inexiſtit; ob pro-nitatem ad motus talium luxuriantium humo-rum, ſpirituali portione repletorum, inteſti-nos; ob calorem talium machinarum intenſio-rem, quæ alimenta citius copioſiusve dige-runt, & ad Chylum fluidiorem convertunt: ob vaſa ipſa, prurientem atque titillantem actum facilius ſuſtinentia, aperturamque non denegantia faciliorem.

In primo fluxu puellarum, minor ſanguinis ſpirituoſi & oleoſi copia dimanans, vaſorum uterinorum minora diametra efficit utpote ſti-mulo minus in ſuâ figurâ conſtanti inſtructi: quæ ſenſim accreſcens ex cauſa ſuperius allata: brevibus aliquot menſium periodis, non anno-rum curſu, ut noſter vult, ſuum ponderis conſueti evacuandi acquirunt terminum.

Ad vetuſtiorem ætatem tranſiens mulier, non declinat in menſurâ evacuandi ſanguinis, ſed ut plurimum in vetulis augetur extraordi-

nario motu, quæ ultra consuetam mensuram, ut plurimum evacuant catameniorum sanguinem; irregularibus periodis, duarum, trium, quinque, sex, septem septimanarum, donec sponte vel ex improviso cessel, aut in fluore albo terminetur, ut fluxus alvi in Tenesmo.

Ratio mensium deficientium in vetulis, hæc esse videtur, quia in minimis vasculis & glandulis humidum spirituale deficit, aut saltem ibidem non luxuriat, adeoque opitulari nequit fluori & velocitati sanguinis, ut solebat; quoniam fibræ minus tensiles & sensiles sunt, & vasorum oscula calloſa durioraque reddunt, ipsaque humorum massa in parte serosâ lentior crassiorque evadit, calorque naturalis, portionumque è materia emersio minor conceditur, quæ omnia motui intestino & irritationi seu stimulationi naturali adversantur; ut innumeris experimentis fieri potest liquidissimum.

Circa menstruationem in imprægnatis negatam vel admissam, superioribus dictis plura non addens, in lactantibus vulgarem menstrui fluxus consuetudinem post primum, secundum, aut tertium partus finiti mensem, sæpius observo, etiam in iis, quæ lactis abundantiam habent, modo debitus adsit stimulus, licet nullum abundantis sanguinis signum adesset, non solum *nutricibus macilentis*, verum etiam

boni habitus mulieribus conceditur menſtruatio, copiâ lymphæ acris inſtructis. Lactis autem abundantiam, nullam aut paucam hucusque repperi in ſanguineis dictis, unde nec hoc opus a Plethora prodit.

Hactenus quidem J. Freind ſuam circa catameniorum hypotheſin unice ſanguinis redundantiæ ſuperſtruxit; verum cum ad recenſionem eorum pervenit, quæ citius menſes cient, etiam admittere debet ea, quæ momentum ſanguinis & humorum vaginalium per ſpiritus & portiones materiæ emerſas ſolummodo adaugunt, cum vaſorum ſtimulo, ut ſunt *febris*, *coitus*, *motus corporis*, *& animi violentiores* &c. quæ portiones materiæ immerſas a clauſtris ſuis liberent, ſæpius cum fervore acuto & lædenti.

Febres velocitatem humorum promovere, nunquam vero copiam ſanguinis promovere, in principio certiſſimum eſt, ſed *febres acutas menſtruis erumpentibus ſolvi*, etſi centum alia præter invocatum Hippocratem, eſſent teſtimonia, pernegat natura & rationi ſiculneæ experientia contradicit, niſi tempus aut periodus adfuerit naturalis, adeoque & hæc cum ſociis hiſtoriolis ad raro contingentia relegentur; facilis enim eſſet febrium curatio per ſanguinis nempe ſubſtractionem, (quæ quidem in acutis mitigat earum ferociam, nunquam vero cauſam

ſam penitus tollit) cum *ex ſanguinis plethorâ pleræque febres* ; ut vult pag: 62. noſter , immemor lentoris, quem paulo ante tanquam earum cauſam cum Bellino invocaverat , *ortum* nequaquam *deducunt :* ut ex ſuperioribus manifeſtum eſt.

Chemiam execrans, ejus patronis tamen admodum favet in explicatione modi, quo coitus , motus violenti , plantæ Emmenagogæ menſes cient , *ſpiritus* enim *rarefactionem , attenuationem materiæ , motum vividiorem , & ſalem* , qui ab his dimanat , *volatilem* in auxilium advocat , ut tamen ab his ſeſe iterum extricet , ne decoris aliquid ſuo idolo plethoræ detrahat, oppoſitioni , quæ ab his contra ſanguinis plenitudinem tanquam catameniorum cauſam deſumitur , reſpondet Auctor pag. 62. *ex ipsâ* nempe *rariore ſanguinis texturâ , reſpectu vaſorum veram exurgere plethoram.* Optimum inventum , ut ſuam tueatur ſententiam plethoricam : ergo ſudans è medicamentis plethoricus eſt, vomens plethoram evacuat, currens , balneans , iracundus plethorâ laborant, vinum , ſpiritum vini , aquas vitæ , ſalia volatilia potans plethoram immediatè creat , Veneris officiis indulgens plethoræ omnia debet ; belle! belle!

Si frigus, & reliqua motui calido contraria menſium fluori obſint , plethoræ ipſiusque mo-

mento nobili multum detrahitur, per ſimilia enim ſanguinis copiæ nihil detrahitur, ubi ſemel in machinâ conceſſa fuerit; ſed ejus qualitatem mutatam in parte veloci vidimus, minus aptam ad portiones illas extricandas, quæ abſolutiſſime illi fini & operi obtinendo inſerviunt.

Quemadmodum ergo omnes motus inteſtini & propulſivi egent externo aëris acceſſu, ut inſtruatur & armetur materia liquida quibusdam partibus per aëra ſparſis, quibus portio materiæ immerſa ſuſcitetur, ſic etiam liquidum in noſtrâ machinâ iis ſuſtentari & foveri ſolet auxiliis, ut res & opera ſuæ naturæ exequatur.

Quo celerius moleculæ in aëre agitantur, raræ & leviſſimæ redditæ per lucem diutius illuſtrantem terrarum orbem, ſive hanc illamve regionem, eo fortius corpora noſtra percelluntur, materia comminuitur, ſpirituales portiones ante hac latentes emergunt, frictione partes ſolidæ in machinâ ipſa irritantur, tandemque motus inteſtini accelerati vias magis porosas & patentiores, quæ talibus effectis parent, efficiunt.

Sæpius ex ipsâ talium aëreram molecularum & partium redundantiâ, ad acredinem incitantur ſpiritus, unde ſenſus augmentum, levis aut gravis partium ſolidarum inflammationis auctor, ut vulgariſſimum eſt in motibus æſtivis

inte-

inteſtinis liquidorum, hinc copioſius ſeſe glandulæ & vaſcula exiliora excernunt & exonerant, quæ ſtimulantem nimium ſuccum ſanguini & humoribus, in majori copiâ excernendis, præbent.

In frigore ex contrario res ſuccedit, moles enim eo in ſtatu ſunt graviores in aëre volutantes, non tam altè penetrantes, imo figura illarum, velocitati contraria, portiones materiæ condenſatæ ab aëris gravioris incubitu, figit, conſtringit, & rigidas reddit, unde denſitas materiæ juncta arctiori vaſorum ſtructuræ negat motus inteſtinos, &c. quod etiam vulgariſſimum eſt in motibus hyemalibus liquidorum, difficulter & tarde procedentium, niſi calore hypocauſti æſtivum æmuletur motum Artifex.

Concludere igitur ex ipſis Auctoris hujus dictis facile unusquisque poterit, non tam ſanguinis abundantiæ ſuperfluæ, quam ejus velocioribus portionibus totum menſtrui fluxus negotium deberi, nam ſanguis, qua ſanguis nec rareſcere nec condenſare ſe ipſum poteſt, ipſeque potus & cibus illud neutiquam proferunt effectum promovendi vel ſiſtendi menſes, absque augmento vel detrimento portionum velocium, prout frictio, primo titillantem voluptuoſam, poſtea inflammatoriam & dolorificam ſenſationem inferre partibus ſolet, poſtquam nempe

per attritionem illam comminuta materia ſpiritualior reddita fuerit, quæ utiliſſima eſt medela partium frigore, aut morbo frigido affectarum; frictio enim fluorem partium tardiorem provocat.

Non opus igitur erat tam operoſo conamine illam plethoræ hypotheſin fingere; ubi ipſi Chemiæ hoſtes nolentes volentes Chymicis accedunt dictis, mutato nomine idem ſtatuentes, nemo enim homo negabit ſanguinem debere exiſtere in machinâ, ex qua fluit ſanguis, hunc etiam debere accreſcere & decreſcere, ut ſatisfiat operi periodice recurrenti, ſed multum differt, an proprie dicta præcedat, eaque ſola Medicis ad phœnomeni illius explicationem ſufficiat plethora, & an ea nos deducat ad ſymtomatum & remediorum exactiorem cognitionem? quod pernegamus, & hinc utile & commodum ex talibus ſcriptis nullum ad lectores redundare poſſe abſolute ſtatuimus.

Certe hac & non aliâ viâ Mechanica, qua nunc ſuperbire atque gloriari ſolent Mathematicorum Filii, breve ad ignorantiam damnoſam feſtinans obtinebitur ſtudium, ſaltem quamdiu notitiam operum naturæ, ex hypotheſi quadam gratis quæſitâ expiſcari, aliisque obtrudere conabuntur Doctores.

Antequam vero recedam ab iis, quæ menſes retardant, ad aliorum examen & elucidationem;

nem; contradictionem Auctoris admodum notabilem hic subnectendam esse inducor, quod nempe Auctor inter ea, quæ mensium fluxum retardant enumerat pag. 65. *vitam otiosam*, cum ex hac operose & longis verborum plenis deductionibus superius unicam menstruationis in mulieribus causam scrutandam pronunciavit, illudque Galleni testimonio confirmare annisus est, an hæc Mechanicorum ratio & via est, qua ex unâ simplicique causâ diversos & plane contrarios effectus explicare possint, & salva stet eorum prima hypothesis? qua in parte igitur apud hunc Auctorem est? certe vita otiosa & sedentaria maxime menstruationi obest, hinc currere, saltare, corpus movere, quin imo cantare jubentur virgines & mulieres, ut motu illo minimæ sanguinis portiones, in quibus maxima naturæ vis, eo magis adigantur ad actiones debitas; hoc etiam salacitas & biliosa constitutio muliebris testatur, quæ menstruationi copiosæ & citæ favet, & ab alimentis talis efficaciæ aromatisatis nempe & exercitiis accelleratur.

Hinc *saltatrices* (*quibus ex improviso sæpe prumpunt menses notante auctore pag.* 61.) *Cantatrices, laboriosas viragines, & robustas omnes mensibus destitui* (ut cap. 3. in medium prouxit) credat Judæus apella; una enim hirundo non facit ver, neque a raro contingentibus

ad vulgarium actionum elucidationem valet argumentum.

Exactâ, quæ catameniorum fluxum naturalem tradit, hiſtoriâ, capite tractatus decimo Auctor ad varia eorum vitia tranſiens non minus in his elucidandis, quam in ſuperioribus plethoræ ſuæ addictus hæret, primo pertractans ea, quæ menſes ſuppreſſos concomitari quandoque ſolent, ſymtomata, quæ penitus inſpecta, ſunt cum ſcorbuticis eadem, rariusque aliquis ullam inter ea reperiet differentiam, & prout varians ſcorbutici humoris ſtatus, diverſa infeſtare loca & partes machinæ ſolet, & exinde effectuum, accidentium, vel ſymtomatum differentiam inferre poteſt, ſic etiam menſium ſuppreſſio malorum Iliadem, non ex mera illa profert ſuppreſſione, quæ ſæpiſſime effectum & non alius mali vel morbi cauſa eſt, ſed ex mutatione qualitatis humorum, qui hic, alibive retinentur vel ſtagnant.

Male igitur plerique Medici agunt, ubi menſes ſuppreſſos tanquam cauſam unicam & principem functionum, quæ in tali machinâ læſæ ſunt, incuſant, cum revera aliunde non raro originem deducat ipſa ſuppreſſio, quam ab vaſis, glandulisque vaginalibus, vel, ut vulgaris fert ſententia, ab uterinis.

Hypochondriaci in viris morbi, eadem concomitantia habent ſymtomata, (quorum exactum

actum catalogum recenſent Etmullerus & Dolæus) quæ proprie & ſtricte accedunt ad ea, quæ ex menſium ſuppreſſione enumerantur, adeoque non absque ratione ſuſpicor, lienis vitia, (quidquid huic ſententiæ contradicit Clariſſimus Sylvius) in mulieribus æque ac viris, potiores obtinere partes in hac morborum tragœdia; quæ ex ipſa comparatione mutua ſatis liquent, & ex ipſa remediorum uniformitate abunde viſuntur.

Uterus autem, & vicina ei loca, cum flexiliora atque laxiora ſint, neceſſario iſti magis ſubjiciuntur malo, tam ob copiam liquidi, quam majorem in has partes impetum naturalem, unde non mirum mulieres familiarius talibus affici incommodis, quæ virilem quoque, ſed rarius invadunt ſexum.

Per ſcorbutum, hypochondriacumque malum, intelligo motum perverſum humorum ſtagnantium, properantium ad ſolutionem, ſeu materiæ diſcontinuationem, quæ ſpiritualem ejus portionem in molem quandam rigidam, acrem, pungentem, & lædentem vicina vaſa, convertit, atque ſtatum figuræ & motus naturalis interpellat; cum autem hæ varient moles in quantitate & qualitate, ratione loci in quo gignuntur, etiam actionum momenta inde discrepant, & pro impetu, quem poſthac conti-

nuant, ſymtomata machinæ & parti illi infeſta formant.

Per menſium ſuppreſſionem volo eam fluxus interceptionem, antehac in puellâ aut muliere viſi nunc plane ſublati, vel partim deficientis, vel depravati; quæ enim nondum menſtruata eſt, proprie catameniorum ſuppreſſione non laborat, & ſymtomata rarius in eâ apparent, quæ ex ſuppreſſis oriuntur, niſi quæ plane cachexiæ ſunt communia, etiam apparent in menſtruantibus; imo quædam nullam menſtruationem paſſæ, vel per aliquot annos imo per totum vitæ ſuæ curriculum ſanitate debita fruuntur, quarum plura habet Medicorum obſervatio exempla.

Quam inconcinne hæc a plethorâ deducantur ſymtomata, Medico cuivis ſtatim apparet, qui hæc cum omnibus utriusque ſexus incommodis confert, niſi Mechanice cæcutire malit; *uteri* enim *inflatio* nihil ſpecialis ab aliis præbet, eaque in puellis & vetulis contingere poteſt, non menſtruantibus, idem de *gangræna* dictum eſto, nam illa convenit cum aliis.

Arteriarum pulſatio, dorſi & articulorum dolor, frigoris calorisque viciſſitudo, venarum varices, tumores in cruribus præſertim, & pedibus & hypochondriis, totius corporis gravedo & imbecillitas, an non ſunt communes in hypochon-

ıondriacis viris, in ſcorbuto, cachexiâ, ictero, ffectus?

Tormina inflationesque ventris, cæliacæ haud ɔſimiles, *flatus etiam & murmura, vomitus* an ‹ mera menſium ſuppreſſione contingunt? ır igitur in viris tam familiaria præſertim ca- renſia ſunt mala?

Ad præcordia anxietas, Melancholicos delas- t; *tuſſis*, *dyſpnæa*, *aſthma*, *tabes*, pectoris ınt mala communia; non uteri & mulieribus ɔlis propria *cordis palpitatio & ſyncope* æque ros quam fæminas fatigat, ſic etiam capitis ıcommoda, ut *vertigo*, *cephalalgia*, *oculorum avitas* &c. ſæpiſſime invadunt optime men- ruantes, quibus carent menſtruis ſuppreſſis, el imprægnatione ſuſpenſis: *veſicæ* morbi e- ısdem ſunt cenſuræ in utrisque, per conſe- uens male ab menſtruâ ſuppreſſione deducun- ır, nam iis carere deberent menſtruantes, uod omni veritati & experientiæ repugnat ledicæ, idem de *pallore* eſto judicium, nam ydropici & cachectici etiam pallent; tardique ı omnibus ſunt functionibus.

Paſſiones hyſtericæ in viris hypochondriacæ ɔminantur, *globus quaſi in guttur ſurſum pe- ns* & conſtringens, epilepticis & hypochon- riacis familiaris eſt omnibus, ergo uterus in li caſu ſtricte accuſari nequit, fluor albus ɔn deſignat menſtruam ſuppreſſionem, nam

ipſe

ipſe hic auctor credit fluorem album, eſſ menſtruationem albam, *menſium prodromum e quaſi vicarium*. pag: 90. ſic ſuorum dictorum immemor pag: 67. inter ſymtomata ſuppreſſio nis recenſet.

Cum practicum examen enumeratorum ſym tomatum, ſi ſingula pertractarem & elucidati propoſiti operis terminos excederet quam longiſ ſime, pauca, quæ ad eorum clarum intellectum faciunt, proferre animus eſt, notanda & obſer vanda ; exceptis iis quæ imprægnationem cum ſuis ſequelis ſtipatam reſpiciunt, aliqua autem frequentiora & magis familiaria eſſe in mulie ribus quam in viris, ut ſunt paſſiones hypo chondriacæ, tandem quædam eſſe quaſi parti cularia illis quæ extraordinaria & præternatura lia in his ſunt, ut menſes & fluor albus.

Fluctuationes humorum majores in fæmini eſſe ipſa experientia docet, ipſa vaſorum ſtruc tura & mollities confirmat, ipſaque animi pa themata evincunt celeriora.

Has ab interno ſpiritu regi, inſtar omnium liquidorum velocitate ſuâ præditorum, etiam ab externo incitari Æthereo igne, teſtantur omnes, quæ ex naturæ lege inſtituuntur, in quiſitiones.

Hic, prout ſpiritus artus, quantitate & qua litate ſuâ regit, potens aut impotens, fun ctiones & facultates nunc firmo nunc infirmo

pro

procedere talo, ad machinæ varias & miras alterationes usque, impellit.

Hos ſpiritus, portiones materiæ immerſas nominamus, quamdiu in illâ latent, neque extra eam verſentur, in noſtro ſaltem conſpectu aut ſenſu, non cum libertate & velocitate debitâ exiſtentes.

Eos materiæ altius poſſe involvi, ac ab eâ pati & coërceri, & ex contrario eosdem a materiâ liberari, & in eam poſſe agere ſtatuimus, ut luſus naturæ circa ortum, progreſſum, interitum materiæ & formæ, inde etiam in machinâ humanâ ac in aliis, procedant.

Liquida in ſuis alveis ſolidis retenta, limitata ibidem in ſuo curſu, motum ſuſtinere propulſivum, ad vitam blandiorem vegetativam alendam, certum eſt, ſed ei adjungi motum inteſtinum, ad ſecretiones partium & portionum materiæ validiores obtinendas aſſero, in iis machinis, quæ alimentis ore aſſumendis opus habent, quoniam præcipue & ipſa alimentorum diverſitas, in uno ventriculo congeſta illud exigit & ſtatim ante chylificationem admittit.

Motus propulſivus ope preſſionis, circumrotationisque quasdam decerpit, & comminuit texturarum ſuperficies in liquidis, imo quasdam ſuo decurſu & alluvie ab ipſis ſolidis abradere poteſt fibris, ut illas quaſi leviter depaſcat, ſufficitque ad halitus molles creandos, inſtar

ſtar roris ac flatuum leviuſculorum, qui partes etiam remotiores rigidiores ſiccioresque ex eorum defectu futuras, humectant.

Motus vero inteſtinus, cum validior ſit præcedenti, ipſas non ſolum premendas & propellendas texturarum ſuperficies ſpectat, ſed etiam eas, in interioribus illarum minorum texturarum cavitatibus & porulis, percellat; hinc ideo potentior portionum ſpirutualium expreſſio ex ipsâ materiâ ſuccedit, partes vehementius comminuuntur, alterantur, mutantur, ipſaque acriora & rigidiora inde creantur effluvia, quæ ſenſibiles in quasdam vicinas partes impetus faciunt, velocitatem, actionumque momenta mirifice adaugent; &c.

Vaſa plurimum ad debitam fluidi figuram, & molem conferre eorum textura probat, & viciſſim fluida vaſis maxime potentiam ſeſe movendi, contrahendi, dilatandi impertiri obſervamus, eorum negationes ſolidi & duri immobilis ſtatum recipere iſtum liquidum faciunt; ut naturæ leges etiam in liquidis determinandis per concuſſionem, propulſionem, amandationem legitime peragantur, ne oneri ſint aut citius ſolito evaneſcant.

Spirituales portiones naturam materiæ tenent, ratione figuræ, & inde ſubſequentis actionis, eaque prout variat, ſic etiam opera earundem variant, quæ tam in ſanitate, quam

in

in morbo apparent, ex iisdem etenim pleræque facultates, functiones, temperamentaque ic dicta generantur, quæ a Medicis numeranur inter res naturales.

Singulæ distinctæ massæ machinam constituentes, præsertim glandulæ, materiam vehunt iquidam, quæ magis minusve distincta existit, quam dimisso suo spiritui, etiam suo modo peranti communicare solent, unde ex prædominio hujus illiusve massæ, quæ copiosiori liquido instructa est, actiones illæ speciales, toi sæpius machinæ communicandæ, proferunur.

Omnes sensationes in morbis ab hac liquâ spirituali portione emergunt, illæque pous ibidem adsunt ubi mala existit vasorum onformatio ex quacunque causâ productâ, ac anc præcipue in opere tristi versantur, ubi notus intestini prædominium in machinâ, vel uadam ejus parte cepere; eodem modo ut feris hectica, post assumptionem digestionemue cibi.

Hæc si vera sint, ut sunt verissima, ratio mptomatum ex suppressis mensibus patefiet, æc enim suppressio non tollit, sed adauget notum intestinum, eumque per continuatiem, periorem & malignum reddit, tandemue per portionum spiritualium materiæ cominutæ & inversæ libertatem, humorum vap-

pe-

pescentia illis portionibus privatorum succe dit.

In motus intestini augmento, copulæ spir tuum fiunt salia rigida, acie sua fibras pa tium solidarum lædentia, unde dolor & dis continuatio earum succedit, quæ cum major sint molis quam ut vasa minima absque sens subire possint, ibidem necessario maxime im pingere debent, ubi major est resistentia, i obstructis vel male conformatis vasis, præcipu ubi in his humor aeris stimulandus ad maj suæ actionis momentum, præexistit.

Homo rarissime tam beatus, ut ab omn parte exactam suarum partium solidarum con formationem obtineat, quod ex Anatomicc rum observationibus satis patet, hinc ab ips partu sua gerit incommoda, minus magisv nocua, adveniente igitur morbo, eoque in gravescente, semper in illâ parte debili magis quam in aliâ dolebit, usque ad suæ vitæ fi nem, durante nempe isto non naturali statu.

Hinc mulier retentione mensium laborans prout affata fuerit in renibus, liene, hepate pulmonibus, capite glandulisque innumer (nam illic vitia sunt frequentiora & pertina ciora) semper ex accessu effluviorum taliu magis laborabit, id est; magnitudinem ictuu & pressionum in illâ magis quam in alia part bene conformatâ sentiet, uno verbo cresc

dolor

doloris momentum in parte antehac leviter dolente, quod in omni superveniente morbo acri contingeret.

Cum motus intestini, cum acredine & portionum materiæ velocitate, in, & circa vasa uterina, augentur, febris & inflammatio tamdiu continuanda accedet, quamdiu sufficiens talium portionum erit redundantia, illæ enim deficientes sensum & motum, per consequens etiam dolorem imminuunt.

Mulier ex eadem ratione varicibus, ulceribus cacoethicis, sordidis, ac phagedenicis decenta, instante & menstruorum fluxu durante sero divexabitur acerrimo, serpente & rodente, cujus vis cessante illo in totum motu intestino, qui menstruationem absolvit, plane enervatur; ergo non ex solâ suppressione talia emergunt vitia, sed majora & pertinaciora ex continuatione, & illius motus malignitate, evadunt.

Ubi ex illo motu, in tantâ copiâ assurgunt perversi spiritus, ut acie & mole suâ hanc illamve occupare valeant partem, ibidemque sedem fixiorem stabilire queant, en novum malum ex successione morbificæ materiæ ibidem depositæ ortum, non raro liberans illa loca ex quibus hæc materia elevata fuerit.

In tantum abest, ut reduces menses tollant symptomata, quin potius in pluribus mensium

ſuppreſſione ceſſante, prorſus invaleſcant mala vel ſaltem non remittant, ut patet in aſthmaticis, phthiſicis, hydropicis, quæ abſque ullius menſtrui fluxus interceptione ſæpius ægrotantes, ingravidationes etiam perferunt.

Materia ſpirituali portione privata non tam faciles admittit motus inteſtinos, niſi aliunde acquiſita ſalia materiam redderet ſpiritualem, ut praxis uberrime demonſtrat in ſulphureis, ſalinis, ſpirituoſis remediis, huic malo potentiſſime opitulantibus.

Omnes igitur morboſæ affectiones ab Auctore noſtro pag. 67. memoratæ, & ſequentibus ſuo more elucidatæ, ita concipiendæ veniunt, tanquam producta ex generali fonte motu materiæ diverſas aſſumentis formas & actiones, quæ nunc hic, nunc illic aberrant in machinam & varias maſſas invadunt; prout aut occaſio aut aptitudo ſive convenientia liquidi utriuſque aut ſolidi illud obtulerit, non autem ex plethorâ aut merâ menſium ſuppreſſione, quæ aliunde ſuum nanciſcuntur damnum & contagium.

Demiror hominem Mechanicum, qui magis demonſtratione quam conjecturâ pergere in naturæ operibus elucidandis gloriatur, ſtatuere etiam ea, quæ inſigne præbent contra ipſius hypotheſin argumentum; *ex plethorâ enim momentum ſanguinis adaugeri* ad nauſeam in hoc ſcripto repetit, quod ſi verum foret, creſca-

cum

cum quantitate in infinitum velocitas neceſſe eſt (Mathematicorum Mechanicorumque regulæ enim in indefinitum procedunt) ſed ipſe hanc regulam exceptione ditat, *eſt enim certus* inquit pag. 69. *plenitudinis gradus, ultra quem, illæſâ qualitate ſanguinis, augeri nequeat quantitas*; vim vero plenitudinis gradus non determinat, infra tamen aut ſupra momentum ſanguinis exiſtere debet, quod viam menſtruo ſanguini aperire aptum natum, vel impotens huic negotio eſt; ſi prius aſſumat lentor ex plenitudine provenire nequit, quoniam vaſa ad debitum actionis momentum ex depletione reſtituuntur, ſecundum Auctorem, ſi poſterius ipſa plethora menſibus pellendis inepta plane eſt, nam ſanguis lenteſcere poteſt, antequam decima parte in quantitate nempe & velocitate adauctus ſit, cujus momentum, juſto J. Friend calculo id eſt, quod menſes pellit.

Videamus nunc quid de lentore producendo in medium proferat, ea ſaltem, quæ de primâ, *copiâ lentoris cauſa* nempe pronunciat p. 70. vel mera figmenta, vel abſolute falſa ſunt, nam vaſa turgida ſanguine velocibus ſuis portionibus inſtructa lentorem maſſæ ſanguineæ adferre nequeunt, niſi hic a parte ſerosâ & ſpirituoſâ recedat, ut apparet in extravaſato ſanguine coagulato in ejus parte rubicunda, non in ſerosâ, quod coagulum tenax in cruorem

abit ſicciorem, tandem in limum aut pulverem obſcurum fateſcit; illo colore ſeſe manifeſtante in contuſionibus, &c.

Miſcela ſanguinis permanens cum ſero portione tenui pro parte privato, motus non prohibet inteſtinos, ſed eos potius in vaſis fovet, quamvis ſuffocationis cujuſdam ſpecies vocetur, nam hæc dicta ſuffocatio, negationem motus naturalis, non præternaturalis reſpicit, ut gangræna, ſphacelus, maraſmus evincit, hinc *non tenacius coaleſcunt globuli, nec ſtrictior fit eorum cohæſio*, ut vult, ſed novus inducitur materiæ motus.

Talis etiam compactio vel coitus in anguſtius ſpatium, fieri nequit abſque expulſione quarundam particularum, ſive aëris, ſive ætheris, ſive ſpiritus, in illâ materiâ hoſpitantis, quod ſi contingit, ut debet, ratio illic lentoris quærenda, ex fugâ nempe talium portionum venit.

Si vero novus inchoet motus, materia agitata ab interno ſpiritu ſemper lenteſcere videtur, ob partes hic, illic decuſſas & alibi collectas, ut in putredine, fermentatione inchoante &c. apparet.

Qua autem ratione vaſa lentorem cauſari poſſint, non video, ſanguine redundante bono, nam de craſſo & ſegni non loquor, in hoc enim partes non prævalent ſanguineæ, ſed

potius

potius Chyloſæ, crudæ & ſeroſæ, ergo hæc redundantia non eſt ex plethorâ, ſed ex materiâ heterogeneâ ac onerosâ ſanguini, idcoque corpora illa Athletica & euſarca ab Hippocrate notata, proprie non ſunt plethorica, ſed ſaginata farinaceis & lentis cibis, corpus inflantibus & diſtendentibus, cum rupturæ metu, ut ſæpiſſime etiam in his obſervatur regionibus, in iis qui farinaceis abutuntur, hinc ortum illud proverbium, *omnis repletio mala, ſed panis peſſima*: idem in equis, ſuibus, aliisque cernimus fungoſum in ſtatum converſis, ac ab omni parte tumidis, per farinacea alimenta, ſanguine tamen non meliorato, copioſius ingeſta, per ſemen, quod per excellentiam ea preſtat, ſpergulæ majoris, quæ plantula eſt ex Enangioſpermarum genere, quam quidam inter Alſines reponunt, quidam ad novum genus referre volunt, quo inclinat Joannes Rajus rei Botanicæ ſtudioſiſſimus cum Volckamero.

Quid ſi ſanguis antequam in vaſis ita redundet, ex anguſtatione inchoante, compenſare celeritate motus illas anguſtias deberet, & materia comminuta, tranſpiratione ſubſequente plethoræ illi ſuccucurriſſet, an non ad mentem Philoſophorum recte egiſſet? an non ſatisfeciſſet intentioni noſtri ſcriptoris, ſi loculos illos minus reſiſtentes hypogaſtricos puellarum

luſtraſſet, ubi ingreſſum & egreſſum patentiorem, ſuoque niſui parentem inveniſſet, miſer nunc in ergaſtulis moriendus per lentorem!

Secundam lentoris cauſam ſtatuit ibidem, *motum cordis imminutum* cui addit *defectum influxus ſpirituum in nervos & fibras cordis*, quæ ultima ratio forſan unica & vera eſt, penuria nempe ſpirituoſæ portionis in materiâ, ſanguis enim, ſi extra vaſa eſſet incumbens & ſuo onere gravans partes vicinas, aditum interciperet cuivis liquido, ſed hæc exſpectare a ſanguine in vaſis circulante, bonique habitus exiſtente, ut eſt in plethorâ, de raro contingentibus, non omnino autem impoſſibilibus dici meretur.

Tertia lentoris cauſa, *partium tenuium abſumptio* veriſſima eſt, quamvis ratio illa Mechanica ſpecioſis verbis ornata non magis hic quam in primâ locum tenere debet, adeoque *reciprocæ actiones*, *particularum repercuſſiones a tunicis vaſorum*, *receſſus a preſſione*, *expreſſio per poros ſecretorios*, *extruſio particularum fluidarum*, &c. æque ſuos actus exercent in primâ quam in hac tertiâ, aut frivola fuit prima, aut alia cauſa quærenda fuit Mechanicæ.

Tandem defeſſus concludit pag. 71. ſuam millies recoctam plethoram cum lentore ſymtomatum eſſe, & lentoris ex plethorâ cauſam, quod inculcat Lectori ſuo etiam plethorice, ut credo, defatigato, ut hoc animo ſuo teneat,

ne

ne iterandi tædium habeant millies jam iterata.

Verum est plethoram, hac latissimâ significatione sumptam æquivalere fermento vel fermentationi quorundam Authorum nil aliud etiam crepantium; sed per fermentum intellexere saltem motus quosdam intestinos, qui ad novas quasdam operationes pergunt, cum quædam corpuscula exilissimæ molis, velocitatis summæ, aëris auxilio fruentia, materiam ad sensiles agitationes compellebant, quæ postmodum in solidiores partes, massas, fibras, tunicas, nervos impingunt, sed hic nullus de iis sermo, nulla demonstratio nisi ea, quæ vulgarissima est, nihilque a plebejâ scientiâ differt, quæ de eventu judicat, spretis causis maxime scitu necessariis.

Attamen eandem statim repetit Doctor plethoricus cantilenam, ubi ad effecta lentoris plethorici accedit p. 72. explicanda, circa pulsum & cor observabilia, ubi spiritus incusare incipit deficientes, quos varios nominat velocitate & copiâ discrepantes, ratione laxioris vel constrictioris sanguinis.

Sed quid per spiritus Mechanici intelligant, non video, multo minus quid per copiam aut inopiam spirituum velint, minime quid per veloces velint partes, nam si spiritus peragere debeant opus pulsationis cordis, arteriarumque, Chylificationis, menstruationis, frustra

plethora invocatur tanquam ſanguis redundans; nam ſpirituoſum quid requiritur, noſtro plethorico teſte, ad opera legitimo abſolvenda in Machinâ noſtrâ, quod ſi ſufficiens ſit inutilis plethoræ invocatio eſt.

Cur ſpirituoſa hæc corpora non deſcribunt, & ſuis in figuris & formis nobis depingunt Mechanici? ſi varii ſint ſpiritus, cur rationem variationis non offerunt? præter vilem & ruſticam; an ſufficit Medico dixiſſe? quod Chylus crudus & ſanguinis lentor lentiorem & minorem ſpiritum præbent & conſtrictior ſanguis minorem ſpirituum copiam ſuppeditat, ſpiritibus quamvis copioſiſſimis idem turgeat: Sed malunt in generalibus verſari campis homines otioſi, libertatis & contemplationum delicatarum amantiſſimi, ſepta & ſylvas Practicis & Chemicis relinquunt, quorum plerumque fuci & fures, de aliorum inventis ſuperbe gloriantes illaque ad ſuos nutus phantaſticos deponentes, audiunt.

De Chylo a motu ventriculi & inteſtinorum, ſecundum Mechanicorum præcepta, conficiendo agit, dein de eodem diutius moram trahente, crudiori putreſcente pronuncians pag. 78. 79. intra Chemiæ pomæria verſatur Mechanicus; ſed qua ratione plethora perſiſtat cum acido putridoque Chylo plene ignoro, nam acidum velocitati ſanguinis obeſt, ideo-

que

que illud non coincidit cum plethorâ, ut alibi vult Auctor, ſanguinem corrumpit, id eſt, ſanguinem eſſe ulterius non ſinit, ergo nulla plethoræ ſupermanere poſſunt veſtigia, neque tales homines tanquam plethorici in praxi amplius conſiderandi ſunt.

Omnes enim graves & doloroſæ actiones aliunde, quam a ſanguine derivantur, nempe a portione ſpirituali ſecedente a materiâ, a ſpirituum in ſalia mutatione, a craſsâ materiâ veloci parte privatâ, quæ omnia etiam in minime ſanguineis, ut antiqui loquebantur, complexionibus contingere ſolent, cæteris vitiorum cauſis paribus.

Capitis dolores ſemper oriri acerbiſſimos a menſium ſuppreſſione innumera exempla negant, nam inſtantes menſes illos proprie inferunt dolores, quod admodum vulgare eſt, imo quædam mulieres acerbiſſimâ cephalagiâ detinentur ipsâ menſtruatione exiſtente, qua, ceſſante illius fluxu, liberantur, quod manifeſte indicat, plethoræ hunc capitis dolorem non deberi, nec menſibus ſuppreſſis, ſed malæ cuidam comformationi, læſioni, aut tenſioni nimis rigidæ alicujus partis ſolidæ, membranaceæ forſan, in capite ab acribus quibuſdam humoribus punctæ, vellicatæ, &c.

Tandem & denique ut plethoræ confirmet exiſtentiam pag. 92. palmam nunc præripuiſſe

omnibus, ranâ ſeriphiâ mutioribus nunc futuris, videtur Medicis, ubi ſanguis ipſi apparet *per aliena loca erumpens, in menſtruis ſuppreſſis*; ſileant nunc omnes Chemici, ne infames eorum demonſtrationes prorſus ludibrio habeantur omnibus cordatis Mathematicis, eorumque filiis Mechanicis, ſanguis e vulnere inflicto erumpit, ergo eſt plethora; eſt & valet demonſtratio Mechanica.

Ubi impetus conceditur, corporibus acutis redditis per motus varios, in partes ſolidas, aër ad ventiformes cum ſero ſalino acri redigitur partes, vaſa dilatantur, diſtenſa ſcinduntur & punguntur, tandem diſcontinuata humorem contentum dimittunt, unde fluxus omnes ſuccedunt ſanguinis, lymphæ, bilis &c; quamvis nulla in vaſis præexiſtat redundantia, ſufficit enim ut adſit liquidum exprimendum per contractionem dilatationemque tunicarum, fibrarum nervacearum & tendinearum, ex dolore illato fortius & frequentius ſeſe moventium; & hi fluxus ex tali læſione procedentes vulgariſſimi ſunt; in hæmoptoe, hæmorrhagiâ variâ, dyſenteriâ, fluore dicto hepatico, &c. durantibus ſæpius ad exinanitionem uſque, finem illi plethoræ imponentem.

Omnes autem argumenti plethorici demonſtrationes ſuperat hiſtoria, quam de Phaethuſâ & Nymaſiâ ex Hippocrate allegat pag. 94. quæ

merito

merito inter Metamorphoſin Ovidii referenda, *nam poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem*, delicatæ hæ virgines virili & hirſutâ facie prodiere, ſanguine barbatam cataſtrophen ludente, redundantia ſanguinis in *capillos* migravit; non mirum igitur quod cadavera piloſa & hirſuta, abſque dubio a plethora, evadant.

Quis non in ecſtaſin rapitur, audiens monita hæc noſtri Mechanici; cur integram Ovidii Hiſtoriam; vel ſaltem inſignes fæminarum tranſmutationes in principio hujus tractatûs non invocavit, harum certè mutandi viciſſitudines bellè ex plethorâ illuminaſſet atque deduxiſſet Mechanicè.

Sed a theoreticâ Auctoris doctrinâ deſiſto, ad ipſius rationem & medendi viam meas dirigens animadverſiones; ut praxin & experimenta inſpiciam, dogmataque ſanguinis pleonaſmo ſuperſtructa hæc practica ad breve revocem examen, in qua reſuſcitanda, unica ſuppreſſorum menſium medelæ intentio, ſecundum ſcriptorem noſtrum, ſcrutanda venit; cui peccanti, ſanguinis miſſio medela fere unica abſque dubio eſſe debet, adeoque in hac fuſius diutiuſque rem practicam proſequitur: præſertim cum hac in parte Hippocratem & Bellinum habeat auctores & fautores, hujus autem præcipue rationibus utens. Itaque pauca, quæ ſenſibilem ſanguinis miſſionem ſpectant, cum illa uſum

&

& abuſum in Medicinâ patiatur maximum, a
jiciam argumenta & indicationes; ex quibus p
tebit, quid de viri tanti ſententiâ Mech
nicâ ſentiendum, admittendum, ſuſpender
dum, atque rejiciendum ſit.

Sanguinis igitur miſſio, ea præſertim, qu
facilius inſtituitur a perito Chyrurgoo, & ir
tentionibus Medicis ſatisfaciens, eſt venæ ſe
ctio. Hæc meo quidem judicio ſequentes ag
noſcit rationes evidentiſſimas, quæ ipſius ne
ceſſitatem urgent, 1. inflammationem vulga
rem, quæ in partibus ſolidis hærens cum dolo
ris vehementiâ corpus agitat: 2. infarctum n
mium quorundam vaſorum humoribus craſſ
occupatorum, ſanguinis boni debitam craſi
turbantium & ejuſdem motus extraordinario
pertinaciter promoventium cum motu ſuſpi
ciendo: 3. ſuffocationem ex halitibus, cathar
ris, extravaſationibus, quæ vaſa aut contra
hunt, aut opplent, aut præmunt aut quovi
modo ſtrangulant.

In ſtatu primo notet Medicus, venæſectio
nem ipſi principio ſeu ortui inflammationi
præcavendo eſſe utiliſſimam, dummodo parti
culæ acres non ſint adeo malignæ, ut ſeſe ſpi
ritibus noſtris vel jam immiſcuerint vel imme
diate nervos affecerint, deſtruendis vel in ner
vos impetum conſtanti ſuâ figurâ acuminat
facere queant, ut gangrænam immediatè indu

cant lethalem, quod tempore peſtis uberrimè fit; ab ignobili ad nobiliores partes pergente materiâ vitiata, quod raptum humorum ad caput, cor, pulmones &c. vocarunt veteres, quem potius detentionem fluidorum in quodam loco nominaverim.

Ultra principium ad medium vel acumen vergens inflammatio, conſiderari debet tanquam quædam majoris gravitatis moles conſtituens partem liquidam, in affecta ſolida nidulantem. Hanc per phlebotomiam velle removere, eſſet aut laterem lavare, aut inſanire, quoniam in vicina feruntur, humorum circuitu, & remotiora ſæpius vitiata loca occupant divulſæ, per torrentem ſanguinis, portiones malignæ, in principio facilius eliminandæ aut ſubigendæ per preſſionem accedentis aëris, locum ſanguinis detracti ſupplentis. Hinc ad funeſta pergit phænomena, vel ad ſucceſſionem alius morbi declinat Machina, per venæſectionem retardatam.

Sub finem inflammationis rariſſimè ſalutaris phlebotomia eſt, niſi reſtiterint portiones veloces tales in Machinâ, quæ vigilias inducunt, & dolores hic illic inferunt vagabundos. In eo enim caſu ob novæ inflammationis, aut ſimilis naturæ in ſolidis focis metum, materiæ tumultuoſius agitandæ, rigidiuſque extendendæ, portiones ſubtrahit. Sic enim Medicus pabulum

lum ſalino-ſulfureum imminuit quod motui il
ſub ſiſtentiam præbebat & humores, ad lever
lentorem convertendos, depauperat, ut ind
acquirat corpori neceſſarium refrigerium
quod obtineri autem poſſe negat ex venæ ſe
ctione Etmullerus inſtitution. Medica. thera
peuſis Claſ. 1. Cap. 1. Sect. 1. Illud autem ab
ſolute accedit ob negatum particularum, ſ
mutuo alias nimis prementium, arctiorem con
tactum; majoribus humidiori aëre repletis ſpa
tiolis, tandem quaſi dilutæ, abſque arietation
inſigni in fibras & vaſorum tunicas, iis innatar
queunt, ſicque ut Mechanici loqui amant equi
librium fluidorum cum ſolidis reditus concec
ſolet.

In ſecundo ſtatu, infarctus ita conſiderandu
eſt ac ſi vaſorum extremitates eſſent obſeſſa
quadam viſcidâ & mucaginosâ materiâ, quam
de loco movere preſſio ſanguinis liquidiori
impotens eſt, abſque velocitatis majoris mo
mento, & quadam remotione ſeu evacuatione
vaſorum adjacentium, ſic enim minuitur in
viſcido reſiſtentiæ momentum & augetur in li
quido affluente & premente velocitas: utilitas
eo major inde emergit, ſi ex ſtagnatione liquid
jam motus in putridum acrem, vel acidum ten
dens toti maſſæ ſanguinis, per hanc fædam mix
tionem inficiendi, inchoaverit; diſſipantur e
nim partium illarum ſitus & nexus; & ex illa

diſcon-

discontinuatione impetus earum ferox perit & plerumque per alvum materia crassa, per sudores & urinam serosior & salsuginosior evacuatur.

Infarctus autem cum vires, ex materiæ glutinosæ callositate & motu diutius in liquidâ parte retentâ continuato, pertinaciores acquisiverit; frustranea erit omnis venæsectio, imo funesta vel saltem morbos inducens Chronicos. Ex nimiâ enim portionum materiæ depauperatione, & ex magna labefactatione partium nervacearum, sanguine puriori detracto, destitutarum plurima incommoda observamus &c. quæ infelices successus e venæsectionis frequentiâ secum ferunt. Imo in ægris pertinaces sæpius obstructiones, frigus, syncope, animi deliquia, convulsiones, diarrheæ, vomitus, pulsus langueſcentes, pallores oboriuntur & aliquando talia effecta immediate invadunt ægros ipsâ in venæsectionis administratione, non nunquam ipsa improvisa ipsos corripit mors, ubi nimium invaluerit malum, gangrænosum factum

In tertio casu, momenta intestinorum motuum aucta, ad copiosæ exhalationis terminum perventa, eo considerandа sunt modo, quo aër nebulosus, tempestatibus obsessus, effluviis seu miasmatibus variis inquinatus; stagnantes enim in Machinâ nostrâ humores tales proferre solent

lent effectus, ut frequentissimè contingit in hypochondriacis utriusque sexus morbis, qui murmura, borborigmos, ructus, flatus edunt, quæ gravare & premere solent diaphragma, thoracem strictè ita dictum & vicinas partes, ac ut plurimum nervoso generi obsunt, spirituumque irradiationi liberæ similes Microcosmi tempestates & Meteora nocent, cum alias placidè percellant & permeent humores quivis totam Machinam.

Venæ sectio hic ob binas instituitur causas, primo, ut momenta illorum motuum intercipiantur, sublatâ, quæ stagna illa fovent, materiæ suæ quantitate. Hoc præcipuè observabile in iis, qui edaciores adhuc dum existunt & post pastum, frequentiores talium effectuum recidivas obtinent, ut fieri in febribus phthisicorum hecticis solet. Secundo, ut vasa nimis tensa, inflata & a vicinis compressa flaccescant, & ab onere premente liberentur, ita enim flatibus exitus liberior, vaporibus ventilatio, & materiæ stagnanti secessus conceditur per venæsectionem, haud raro vomitum, alvi, subductionem, sudores ex tempore cientem.

Verum eadem non sine periculo instituitur in delassatis jam & depravatis corporibus, in quibus materia ejusque portio spiritualis a naturali planè descivere statu, subito enim sudores apparent frigidi, languor subrepit, pulsu-

tre-

tremuli & inæquales apparent, facies hyppocratica adeſt, oculares humores vappeſcunt, & deprimuntur, anxietates circa præcordia, & cordis palpitationes ſuperveniunt, Melancholia accedit, Marraſmus præ foribus ſtat; ſummâ cum infamiâ & opprobrio Medici præſcribentis venæſectionem, tunc enim vitali fonti & flammulæ pabulum ſubtrahitur, non autem in omni modicâ ſanguinis miſſione, prout Helmontii Sequaces arbitrantur. Tempora igitur motuum & Machinarum conſtitutiones judiciosè obſervari & examinari in phlebotomiæ adhibitione debent, ut & ſelectiones venarum non omnino negligendæ veniunt, quo enim rectior & proximior eſt via, quæ relationem ad partem affectam habet, eo tutior & utilior erit venæſectio; quod dogma nunc ulterius proſequi ſuperſedemus.

Maxima autem venæſectionis intentio ferè ea eſt, quæ liberiorem aëris reſpicit ventilationem, ut ejus auxilio portiones ſpirituales ex materiâ faciliorem & validiorem decarceration-nem & poteſtatem obtineant, quibus mediantibus partes ſanguinis ad majorem independentiam & circumrotationem infligantur, ſive ut Mechanici ajunt fortius dimoventur, & earum momentum adaugetur, ut muneri ſuo ſuſtinendo pares fiant, tam ſanguinea materia, quam ejus veloces portiones in aëre liberiori ſuſpen-

ſæ & ſuſtentatæ ; ſi hoc ſit plethoram augere: per me licet, nam confuſio ſcientiæ & artis Medicæ in generalibus illis expectanda his placet imperantibus, iis tympanites erit hydrops, &c.

Aër premens & ſubiens vaſa, certo certius velocitatem majuſque momentum ſanguini addit, illum de loco ſuo dimovendo, unde ad frictionem & comminutionem majorem aptior redditur, ſpiritibuſque liberandis commodior fit. Hinc prout humores ſic ſpiritus, prout ſpiritus ſic aër, prout aër ſic actiones ſpirituales & maximè vitales ſuccedunt in Machinâ, ideoque ubi maſſa ſanguinis corrupta fuerit, & ad putrilaginem perventa, in ruinam poſt venæſectionem abit Machina, ex acceſu aëris infecti nervis infeſti, ſecus fit ſi ad talem nondum pervenerit gradum, nam aër puriores, ſeu magis naturales reperiens ſibique copulans ſpiritus & halitus, innoxius exiſtit.

Ex ſuperioribus igitur colligere eſt in quibus mulierculârum Machinis, menſtruorum ſuppreſſione, laborantibus, variâ & ſæpe diversâ exiſtente causâ, ut & in novo vel inveterato mali effectu prædominante, venæſectio præſcribenda vel prohibenda a Medico ſit, arti enim, famæ & ægris conſulere ſi velit, hæc rite ut diſtinguat neceſſum eſt.

Purgantia aliam merentur conſiderationem, utpote magis accedentia ad eaſdem, quas ex-

petit

petit Medicus in menſtruali fluxu, operationes, nempe motum auctum inteſtinum; certum enim eſt omnia adſtringentia remedia motui illi eſſe contraria, præſertim ſi vis adſtrictoria eouſque pergat, ut mobilitatem ſpiritui omnem intercipiat, quæ etiam figentia nominantur. Auſtera, conflata ex materiâ graviori terreſtri & acido fixiori, compingunt ſanguinem in ſolidiorem ſubſtantiam & majorem molem, ita ut nec aëri ſufficiens aditus, nec exitus immerſo ſpiritui concedi queant, obrigeſcente nempe corpore. Hæc igitur æque menſtruationi ac purgationi obſunt. Purgantia namque ſpontanea, inſtante menſtrui fluxûs tempore, ſatis familiaria ſunt, unde purgantia, eo tempore imprudenter adhibita, violenter ut plurimum operari ſolent, quod ex combinatione motus utriuſque inteſtini non raro contingit.

Certiſſimum eſt omnia, quæ promptiora ſunt ad motus inteſtinos remedia, eoſdem noſtræ ſanguinis & humorum maſſæ ab iis inducturos fore, præcipuè ſi talia in ipſo actu verſentur; vel in eum per calorem & liquidi aquei mixturam facile convertibilia ſint. Inter hoſce motus evidentiſſimè ſeſe fermentabilitas & fermentatio corporum, ſtrictè ita dicta, diſtinguit, quoad vim purgantem in noſtra Machina. Sic omnia in genere fermentabilia corpo-

ra, laxantia aut purgantia nominari poſſunt remedia, & inde Medicus inquirendæ & comparandæ operum naturæ curioſus, ſuas contemplationes judicioſas venari poterit.

Ii, qui ſalivâ ſatis ſpumosâ liquidâ & fermentabiliori inſtruuntur, nunquam alvo laborant adſtrictâ, ſed facile in diarrhæas proni ſunt, idem de ſucci pancreatici, a Clariſſ. Sylvio noſtro adeo decantati, copiâ & qualitate obſervamus, ſic etiam de bile tenui & ad motus inteſtinos proniori cernimus, in ictero inſtante, in morbis bilioſis inchoantibus, in inflammatione hepatis incipiente, ubi vomitus & diarrhææ communiſſima ſunt ſymptomata, quemadmodum adſtrictio alvi ex jam conſummato motu inteſtino obſtructas partes graves derelinquente, acidumque auſterum pariente, oritur, poſtquam nempe veloces materiæ portiones, partim fugatæ, partim in ſalinam terreſtrem ſubſtantiam converſæ fuerint.

Purgatio igitur in menſibus ſupreſſis, in quantum ad motus cogit aut trahit materiam lentam, bona eſt, in quantum ſpiritus ad majorem acredinis ſenſum inducendum ſtimulat, legitima eſt medela, in quantum materiam ſubminiſtrat arietantem in vaſa eaque validius reſerat; quod notat etiam noſter p. 108. optima eſt, dummodo ex prudentis Medici conſilio & manu dependeat, alias inſtrumentum ſolet eſſe pernicioſum. Con-

Convenit igitur, cum ſuppreſſionis cauſa ab lentore prodit, debilitatem chyloſeos cauſante, ac ubi Chylus crudior, indigeſtus, acidus, vel bilioſus formatur; ubi Chloroſis inſtat, vel icterus vel hydrops præ foribus eſt; principiis enim illis ſerio obſtandum eſt, per motus tales inteſtinos fortiores; ubi glandulæ & vaſa lymphatica abdominis ſcorbutico, cum flatulentiâ ejuſdem, infeſtantur humore; ubi thorax anguſtatur ex quâvis causâ & catharrhi copioſiores conſpiciuntur, pectus & pulmones invadentes; ubi cephalalgiæ frigidæ dictæ invaleſcunt cum torpore & laſſitudine gravante Machinam, tunc ſemel & iterum repeti, non ſæpius debet purgatio, quæ ancillari tantum debet, viamque ſternere aliis remediis. Hoc manifeſte edocet in methodo ſuppreſſorum menſium therapeuticâ, non ſolum ad vaſa uterina eſſe reſpiciendum, verum etiam ad alia, aliquando remotiora ſæpius, loca Practico Medico divertenda eſſe opera practica.

Nocet autem purgans, cum menſium ſuppreſſio cauſam agnoſcit partem inflammatam, ubi diutius continuata fuerit, ubi frequentiora invadunt animi deliquia & convulſiones, ſæpius purgationi cum periculo vitæ in talibus ſupervenientes imprudenter adhibitæ, ubi pertinax exiſtit partium ſchyrroſitas, tunc enim caute mercandum eſt Medico, ne vires ulteri-

us proſternat, & infamiam ſibi comparet. Hanc evitare poterit, ſi tradiderit talia, quæ ſenſim & ſucceſſivè materiam ad majorem fluxilitatem diſponunt, ita tandem viam præparat purganti remedio, ut ſunt ſalia fixa & muriatica juncta blandioribus vegetabilium, dein minerabilium abſque magno ſenſu agentium particulis.

Cautionum harum nequidem mentionem facit in methodo ſuo medendi J. Freind, ſed indiffrenter ſua præſcribit laxantia & cathartica, ut primas vias illorum ope expurget, ſanguinem attenuet, & uterina vaſa latius diſtendat, periodicum menſium fluxum ſolummodo pro ſuo ſcopo habens, neglectis omnibus aliis functionibus læſis: ſed hic inſuper plethoræ ne quidem meminit ſuæ, in quâ reſuſcitandâ unicam medendi intentionem eſſe paulo ante innuerat, ſub initium nempe capitis undecimi hujus tractatus.

Hic locus & campus mihi concederetur & eſſet ampliſſimus differendi de purgantium ſelectione, in hiſce ac aliis morbis, diverſas cauſas agnoſcentibus, ſed hæc ad praxin ſummopere ſpectantia nunc præterimus. Illud ſolummodo in tranſitu notamus, in ſimpliciori menſium ſuppreſſione, ex ventriculi & abdominis lentore, vel abuſu terreſtrium motus inteſtinos ſupprimentium, ea eſſe optima purgantia, quæ plus acris poſt ſe relinquunt materiæ,

teriæ, ſtimuli loco ſanguini & lymphæ inſervientis, eaque minimâ in doſi ſæpius repetenda eſſe a Medico, ita ut vix purgent per alvum, ſed tantum vicinas partes ad majorem motum irritent & vellicent. Sic enim magis intentioni Medicæ ſatisfiet, menſtruis ſubducendis nempe, quam ſi majori doſi ſimul & ſemel adhibita fuiſſent, quæ fuſius nunc tractare nec eſt tempus, nec eſt animus, talem nobiliſſimam materiam ſenioribus relinquens Medicis, feſtinans dum feſtino ad ulteriorem harum rerum inquiſitionem judicandam æque ac utilem.

Antequam vero therapeuticis hiſce animadverſionibus finem inponam, lubet obiter inquirere, an proprie dentur Emmenagoga, ſive menſes pellentia remedia? Illud omnino negare cogor, ſi per Emmenagoga ſtrictè intelligere debeam talia ſpecifica remedia, quorum poteſtas ſpecialis & unica eſt utirina non alia loca inviſere & movere, talia enim non dantur hucuſque clarè & diſtinctè cognita, nam ſi darentur, Viris non convenirent, nec promiſcuè a Medicis in utroque ſexu adhiberentur.

Si quis urgere alterius & affirmare vellet, ex auctoritate ſcriptorum, hæc in diſtinctis ſuis remediorum catalogis deſcribentium, ei leve forſan pondus illius hujuſve Auctoris objici poſſet, imo ejus fides in dubium vocari meri-

to ab unoquoque Tyrone debet, antequam hæc vocabula gratis repoſita & inventa, non aliud opus in re ipſa Medica præſtent, puta nervos & fibras ſuo ſpirtuali fluore penetrando & percellendot,am ſimplicibus, quam compoſitis remediis. Sic majorem ſanguini motum imprimunt, ita ut nunc diaphoreſin, nunc diureſin, nunc appetitum cieant, nunc alvum leviter irritent & ſubducant, nunc fluorem humoribus majorem concilient, nunc principia quædam motus inteſtini adducant. In qua occaſione mihi narravit meus olim ſemper colendus Præceptor, virginem quartanâ laborantem, ſub finem anni ſexageſimi noni præcedentis ſeculi, chloroſi ex menſtruorum ſuppreſſione correptam, miſeram vitam trahentem, ope infuſionis factæ ex granorum decem Arſenici in unciis aquæ pluviæ duodecim, tribus in doſibus exhibitæ (ſingulis nempe diebus uncias quatuor aſſumebat) quartanâ pertinaci & menſium ſuppreſſione, poſt leves quaſdam convulſiones, & graves vomitus & feceſſus curatam fuiſſe, ab Agyrtis, tunc temporis, illud remedium paſſim in uſum vocantibus, in pleriſque cum ſucceſſu, ſed in aliquibus cum horridis convulſionibus mortem minitantibus, non inferentibus.

Omnia igitur, ut ad Rhombum redeam, quæ nervoſo generi ſtimulando aptiora ſunt, dici queunt Emmenagoga, ut ſunt ea, quæ

anta-

antapoplectica, antiparalitica, antiſcorbutica, ſtomachica & diaphoretica acria, diuretica antihypochondriaca &c. appellantur, quæ particulis gaudent tenuibus, ſpirituoſis, ſalinis, oleoſis, ad motum facilem vergentibus, portioneſque materiæ immerſas expergefacientibus, aëriſque impetui faventibus. Hoc etiam comprobat vernalis & æſtivus calor ſopitos veluti in ſanguine motus vivificans, unde eo tempore hæc & ſimilia remedia evadunt efficaciora, quæ autumnali pluvioſo, & hyemali gelido tempore tardiora ſunt. In his etiam cautè eſt procedendum, ubi remedia adhibentur vario tempore, & ſub vario cælo, præſertim æſtivo calore exiſtente ardentiore, tunc enim mera aquea fluori recuperando ſufficiunt, excitanda ad ſpiritualitatem per ſubtiles moleculas aëri innatantes, quæ tandem illis immerguntur; idem etiam obſervandum in corporibus inflammatione quadam interna detentis cum rubore apparente, & dolore diſcruciante, febrili inſultu &c. obſeſſis, tunc enim eadem eſt ratio dilutionis neceſſariæ, quæ in æſtu, nam ingeſta mera aqua fit ſpirituoſa & ſalina, attamen demulcens fibras, rigidarum acrium partium violentiam retundens, unde mollities & flexibilitas intermiſſa redit.

Illa Chemicæ experientiæ edocent, hanc naturæ ſemitam ejus Cultores venantur, hanc

diſcendi & docendi viam exhibent ſuis Auditoribus & Lectoribus, quos a generalibus, ſecus ac Mechanico-Mathematici, ideo pro tempore advertunt, ne particulares naturæ inquiſitiones intermittantur, & ne Tyrones damnoſi ſæpius præceptis ac meris inſomniis ſuorum præceptorum nimium indormiant, propriæ enim manus operi ſunt admovendæ, & experientiæ judiciosè ſeligendæ.

Sed quæſo omnia inſpiciat & examinet æquus naturæ Ruſpator, Æſculapii & Appollinis verus filius futurus, omnia ſtudia in verbis nunc hoc illove ornatu prolatis reperiet, quamvis ornatum ferè omnem reſpuat, & abhorreat doctrina virtute comparata.

Velocitas, momentum, plethora, ejus defectus lentor, ſunt fulcra hujus Emmenologiæ, in quibus magnificè repoſitis verbis ex meræ effectuum quorundam apparitione petitis, nihil operi naturæ & praxis inde ſuperſtruendæ addit nec demit, attamen de re bene geſtâ gloriatur ſcriptor aliis inſultans melioribus, uſui & commodo generis humani adſpirantibus.

Ei, qui a lunâ petunt menſes, excuſari poſſunt, ſi aërem ejuſque viciſſitudines per hanc intellecta velint, omnis enim actio quodam modo ejus agnoſcit influentiam, quamvis ſtrictè ad lunæ phaſes non recurrant menſium periodi, ſaltem rariſſimè, illud tamen non magis

fal-

falsum aut verum est, quam omnis auctoris nostri computatio sanguinis menstrui &c.

Illi, qui fermentum vel fermentationem ponunt menstrui motus causam, vocabulo illo generatiori usi sunt, ut explicarent momenta velocitatis, ictuum magnitudines, pressiones materiæ accedentes, ut huic satisfieret actioni, per spirituosæ cujusdam materiæ generationem. Illud non minus indicat ipsas materiæ inexistentes partes, nunc majorem velocitatem adeptas esse, quam ante fermentationem acquisitam possidebant; quamvis strictè loquendo, ut jam supra innui, omnibus numeris absoluta non concedatur talis, qualem illam volunt Chemici, attamen velocitatis momentique nomine nil significanter exprimunt Mechanici, quo ad causam illius phænomeni accedentis & recedentis, ergo nisi meliora tradant, de verbo perpetua lis, de facto altum erit silentium

Mihi etiam illud incumberet onus, ut ex naturæ legibus motuum intestinorum varias operas prosequerer, nam inde formarum, figurarum, qualitatumque ideæ in spirituali, vel salinâ portione existentes, vel de novo fabricandæ in scientiam Medicam lucidius incurrerent, & symtomatum discrimina sese apertiora sisterent, cum nosceremus, cur in hâc acidum, in illâ putridum, in istâ muriaticum, in quarta acerbum, in alia flatus, prævaleant suppressis in

men-

menſibus prædominium ſenſibile captantia, u
exinde ſeligere & ponderare ſua adhibenda me
dicamenta poſſet Medicus ſimul prudens & fe
lix futurus.

Sed talibus maximè proficuis ferendis, in r
Medica hucuſque deſideratis, meos nimis im
pares agnoſco humeros, cognitâ enim ſpiritua
li materiæ portione hujus motitationes clariu
ac diſtinctius noſceremus, in illis minimis velu
ti flammulis, cum reſideat maxima naturæ vis
& ex eorum neglectâ aut aſpernatâ inquiſitio
ne plurima nos latent, & in æternum forſan la
tebunt, præſertim in operibus remediorum, &
ſucceſſionibus morborum.

Non moror eos, ſcepticiſmo deditos, dur
hic enim & illic oberrant in rebus naturæ in
certi & vagabundi, neſcio quid deblaterant i
alios, de ſpirituum, ſalium & fermentorum con
jecturis Chemicis, quæ ipſi talparum more cæ
cutientes negant, aut ex damnosâ inſcitiâ, & te
trâ invidiâ ſuâ proferant inveterata odia, nan
tales nec reſponſione nec irâ digni ſunt, ſed po
tius ex commiſeratione ad Anticyram relegan
di ſunt, ibidem ut helleboro utantur, & diſ
cant ſapere.

Sed miſſa faciamus ea, quæ menſium ſup
preſſorum medelam ſpectant ulteriorem, fider
hiſtoriarum penes Auctorem relinquentes, a
eorum nimium & morboſe fluentium rationer

thera

therapeuticam cap. 13. propoſitam animum adhibeamus, ubi præcipuam conſiderationem duo merentur (relictis iis, quæ ex ſuperioribus facile dilui & confundi poſſunt) repellentia & adſtringentia auxilia.

Quid per revellentia & revulſiones Antiquis familiariſſima verba velit auctor, non capio, hæc enim dicta, eo valuere tempore, quo circulatio ſanguinis nondum detecta ac demonſtrata fuit a ſagaciſſimo viro immortalis memoriæ Harveo; quem hujus eximi inventi auctorem primum, neſcio, quis Pallilius negat Cæſalpinum, ut Italiam ſuam hujus & omnis inventi felicem dicat, agnoſcens. Impoſſibile enim eſt revellere humores, niſi curſum liquidi ſolitum diſtrahas, & naturæ ordinem turbes aut tollas; verum quidem eſt ſanguinem tunc minus celeriter ad inferiora ferri loca, cum in ſuperioribus fit venæſectio, ſed curſus ejus non revellitur, imo ſi hoc concederetur, quid venæſectio in pedibus commodi afferret menſibus ſuppreſſis?

Menſium uberiorem proventum conciliaſſe diaphoretica, ut noſter indicat, nemo homo Medicus vidit niſi per talia intelligat acria oleoſa ſpiritu veloci turgida, adeoque Etmullerus non contra rationem in nimio fluxu diaphoretica præſcribit, prout hic cenſor vult, ſed experientiſſimus in re Medica Vir, ſalia nimis

præ-

prædominantia cicurare & abigere tentat, u videre eſt operum ſuorum. tom. 2. p. 1026. a unicam menſtrui nimii fluxus cauſam, his enin in ſuo motu ſedatis ceſſat effectum.

De adſtringentibus externe & interne adhi bendis tria notat pag. 138. *coagulum*, *lento rem*, *ſtimulum*, coagulatio qua ratione fiat a ipſo non proponitur, quamvis exinde reliqu effecta clarius & diſtinctius innoteſcerent, & operationes remediorum intelligerent Medicin Tyrones, imo ut ulterius illas novis operibu extendere poſſent, ideoque ut huic defectu occurram ſequentia notabo intellectui neceſ ſaria.

Adſtrictio in noſtrâ Machinâ duplici obti netur modo, incraſſando humores, & contrahen do vaſa.

Incraſſatio fluidorum ſolâ materiæ motui re ſiſtentis coacervatione obtinetur, ſed cum di verſis adhibitis mediis acervus ille fiat, etiam inde diverſi naſci debent, qui corpus noſtrum non uno modo afficiunt, adſtrictionis effectus.

Coagulatio eſt vulgariſſimum opus adſtrin gentium cum ex acidi acceſſu oleoſæ aut alca linæ partes conſtringuntur, ad lentorem fixi tatemque reducuntur, atque tandem in molem majorem ac ſolidiorem compinguntur ſphæricæ & independentes antehac partes, nunc ad fi guram oblongam redactæ; unde lentor ſtatim apparet.

Re-

Repletio aut ſaturatio eſt ſecundum etiam notiſſimum artis & naturæ opus, in offis terreſtribus a quocunque ſale devoratis conſpicuum, tamdiu donec hebetentur eorum velocitas, acies, & ſtimulandi vis, ſic enim terræ intimius liquidi intermixtæ oneri ſunt, denſiorem reddendo materiæ texturam, motui propulſivo & inteſtino, dein pertinacius reſiſtentem; ut patet in virgunculis cretâ & ſimili terreſtri corpore abutentibus.

Inſpiſſatio, quæ ex liquidi evaporatione non ſolum ſed potiſſimum ex ſpirituum fugâ obtinetur, eſt ſpecies adſtrictionis, quam Chemici evaporationem & fugationem vocant, ut vulgariſſimè in vappeſcentibus olim ſpirituoſis liquoribus viſitur; exhalatio enim portionum ſpiritualium nimia, miris modis diſcontinuatam antehac materiam alterat, turbat, in grumos faceſcere cogit, quamvis hæc materia grumoſa liquido cincta ſit copioſo.

Induratio, ubi materiæ ipſius moles variæ, ad conſortium plurium texturarum quietum obtinendum, nectuntur, ut in lapidificatione atque calloſitate fieri ſolet; ex glutinis cujuſdam, apparentis ſæpius in mucaginoſâ ſeri & lymphæ parte balſamicâ, fabricâ oriri videtur. Hæc acceſſu coagulantis cujuſvis materiæ in ſolidiorem ſtatum reducta, poſthac omnem liquidi appellentis impetum eludit, & locum re-

moræ adſtrictoriæ ſupplet in vaſis, tali durâ materiâ repletis, ut patet in ſchyrro & calculis, ut & in glandularum tunicarum ac ligamentorum calloſitate.

Corrugatio etiam adſtrictionis ſpecies eſt, quoniam inæqualitas, ſcabrities ut & vaſorum flacciditas, in causâ eſt, cur humores non tam liberè nec tam placidè fluere poſſint, ſed hic illic hæreant, aut aliis irretiri ſeſe ſinant, ut patet in hirſutis & aſperis corporibus, cum aliis occurrunt mollioribus planioribuſve; hinc poſt inflammationes & læſiones a motu & dolore partes corrugatæ remittunt; exinde forſan plurima etiam amara opus ſuum vulnerarium, anodinum & adſtringens abſolvunt, quamvis in principio humores agitare videantur.

Hiſce igitur modis abſolvitur adſtrictionis opus, quod a remediis etiam obtinetur in principio ſui operis ſolventibus, & purgantibus per quaſvis vias, ut patet in pleriſque remediis anodinis, diaphoreticis, laxantibus & catharticis. Hinc etiam patet ratio, cur functiones primo acceleratæ per remedia, poſtmodum retardentur, & hinc luculenter patet, cur propriè ita dicta antifebrilia ſint adſtringentia; fervori humorum adverſa: propriè autem adſtringens ita dictum Medicamentum eſt terra auſtero, id eſt ſubacido fixiori ſpiritu aut ſale inſtructa, ut duplici humorum

motui

motui occurrat; primo velocitati ſpirituum compeſcendæ; ſecundo liquiditati & independentiæ fluidorum prohibendæ; quibus modis inteſtinus deletur, & propulſivus imminuitur motus: aliudque non intendit ipſa Praxis.

Stimulus, quem Auctor adſtringentium virtutibus addit, qualis dicendus ſit, & cujus figuræ Mechanicæ exiſtat, nullibi dicit, verbis contentus, ideoque, quid per hunc intelligi debeat, & alii ſub hujus titulo divulgarunt, quam breviſſimè hic ſubnectendum mihi eſt.

Per ſtimulum intelligitur tale corpus, quod ex quâvis causâ extraneâ, puta aëre, æthere, ſpiritibus, & ſimilibus eſt mobiliſſimum, & ad motum ſuſcipiendum aptiſſimum. Dein per ſtimulum intellectum volo omne illud, quod motum ſuum aliis ſegnioribus communicare, & imprimere poteſt. Denique per ſtimulum intelligo, quod figuram aliorum corporum alterare, ad modum inſtrumenti Mechanici cujuſvis fabrorum acuti, cudentis formas, figuras, motus, in materiâ ipsâ ſolidâ, per ſtimulum agitatâ, poteſt.

Quid aliud igitur per illum ſtimulum concipere miniſter naturæ poteſt, niſi idem illud, quod alii ſub titulo fermenti, ſalium, & ſpirituum deſignarunt, profecto nihil; adeoque de lanâ caprinâ lis eſt.

Stimulus enim ſi quid aliud ſit, quod ictuum

magnitudinem, motuum celeritatem, liquiditatem, & momenta actionum proferat, illud re ipsâ, & in naturæ operâ demonstretur, extra Chemiam nobis probandum, ut aliquid novi, usui & commodo artis Medicæ hauriamus tunc enim omnes a sententiâ suâ recedent cordatiores.

Traditis iis, quæ potissimam errorum & veritatum partem spectant in hac emmenologiâ super meram plethoram fundatâ, accedo ad ultimum ejus caput de remediorum viribus, ac operatione agens, & auxiliorum materiam continens, historiam nempe Praxios. Hanc ubi intueor, nil nisi vulgarissimum quid reperio non tanti moliminis Mechanici ratiocinio indigentem; sufficeret enim omnia ad plethoram esse deducenda, non Medicam, sed Mechanicam, non sanguinis sed etiam seri, lymphæ & hisce accedentis aëris,

Sed quod mirandum est, observo tam absurda de quibusdam remediis tradita, ut me pudeat, hominem Medicum, sibi tamen adulantem, talia, quæ omni experientiæ contraria sunt, reponere.

Plurima & vulgaria de Medicamentorum olim & nunc ventilata generalia sicco pede transeo, ad opium meam mentem & manus dirigens, a cujus operatione noster incipit pag. 152 cujus nobilem vim inesse ejus facultati attenuant

anti ſtatuit ſanguinem, *hinc* ut ait *animus alacer, vegetus, pacatus, vigil, vires corporis inſtauratæ, doloris oblivio, nonnunquam fœctum, & calculum expellens &c.*

Opium ſive ſuccus ex inciſis papaveris capitibus elicitus & inſpiſſatus, inter excellentiſſima remedia primum ſibi, & principem vendicare videtur locum. Magnus vitæ beatioris ſaltem, inter ærumnas auctor, (hinc veteres Græci, & cum Galleno Arabes in compoſitionibus ſuis regalibus hunc ſuccum, tanquam baſin, receperunt, & moderni quidam pro panaceâ habent &c.) id ei merito deberi nemo homo Medicus, nec vetula quidem in dubium trahet, poſtquam ex doloris mitigatione, morborum etiam ſymtomata haud multum a ſanitate vacillante aberrantia ejus uſu prudenti, in ſe ipſis animadverterint: quare in ſcriptis ſuis ejus uſum ſummopere commendat Clariſſimus Sylvius.

Ejus autem vis ſoporifera, vel potius anodina an in ſolâ attenuatione conſiſtat, merito unicuique in dubium vocare licebit? ſi per potentiam attenuandi, quis intelligat illud opus, quod in veloci & ſpirituali materiæ portione conſiſtit, ejus molem in ſingulis texturis imminuentæ, has ad majorem independentiam, & motum cogente, abſque figuræ aliquali mutatione in ipſis illis minoribus texturis. Hæ enim

ſimpliciter attenuatæ, eo potentius & efficacius idem munus exequi deberent, quoniam omnia corpora neceſſario ex ſuâ figurâ agunt, quod agere ſolent, poſtquam ſemel in motum redacta, ac ad aliorum corporum occurſum rapta fuerint, ſic Mercurius, Antimonium, Jalappa, Scammonium, Cantharides, Millepedes &c. attenuata per menſtrua, eo fortius etiam in minori doſi adhibita operabuntur, modo figura eorum in ſingulis partibus attenuatis integra maneat, quod ex opio contrarium eſt effectum.

In opio reperiunt Chemici ſalem, & ſpiritum alcalinum volatilem, hinc primi fuere adverſarii contra eos, qui opium frigidum ſtatuebant, exinde noſtri Mechanici illorum experientiâ edocti, nunc pronunciant *opium attenuare.* Forſan ex vi illius velocis portionis operantis? Chemicis enim aliiſque artificibus, ex naturâ, ut ita loquar ipſius artis *veris Mechanicis*, incumbit, ſi noſtris fictitiis credamus Mechanicis, operum ſylvas conferre, ut hi has ſuo more adornent, homineſque ſub jugum ipſorum mittant.

Sed en miram illorum Mechanicorum ſolertiam in ſomniis, & deliriis ſuis maximè valentem, opium attenuat, ergo eſt anodinum, bella conſequentia, non tamen majoris momenti quam ſequens, opium facit dormire,

quo-

quoniam in eo est vis dormitiva: nam exinde sequeretur omnia attenuantia suâ naturâ esse anodina, quod ab omni experientiâ planè recedit, quæ unica est rationis & auctoritatis Medicæ norma.

Salia volatilia, spiritus ardentes plurimi, olea essentialia & Empyreumatica, aromata acria, herbæ, & quævis vegetabilia oleo & spiritu essentiali tenui dotata attenuant, ergo deberent esse anodina, secundum sententiam tanti Mechanici, sed contrarium observant omnes Practici, nam plurima ex iis dolorem augent inflammationem creando acutam, ideoque abhorrent sæpius Galenici a Chemicorum præscriptionibus, statuentes, imo declamantes horum remedia esse nimis calida & attenuantia, miseri cum Charybdim vitent, incidunt in Scyllam, adblandientibus Apozematibus, Julapiis, & crudis aqueis remediis, ac fructibus palato ignem vitalem suffocantibus & extinguentibus, undique & undique obsessam, sed hac viâ Methodico-Mechanice astra petunt sua.

Pergit ulterius noster de plenitudine sanguinis ad vasa ex opiatorum usu, sua proferens commenta, cum ait *arterios cerebri latius quam par est distendi* usque *ad nervorum compressionem, spirituum motum intercipientem hinc succedit*, ut vult *stupor aut somnolentia, & obruitur animi vigor, langueſcitque pulsus. &c.*

An autem nervi talis ſint ſtructuræ & texturæ, ut tam latos obtineant poros, ductus, tubulos, qui facile adeo dilatari & comprimi poſſint, ut ſpiritibus debitis via intercludatur? primo demonſtrandum hoc eſſet Mechanico. Anatomici enim illud negant, ipſa nervorum exploratio huic rationi adverſatur, ipſa etiam Antlia Pneumatica nihil ſimile probat; quod experimentum notat Clariſſimus G. Bidloo in in animad. in Will. Cockburnium pag. 99. Chemici huic ſententiæ etiam ſeſe opponunt, ſpiritibus enim animalibus non opus eſt tam latis ſpatiolis ad tenuiſſima ſua corpora huc illuc transferenda, vitra enim, lapides, ligna, metalla etiam denſiora his cedunt, per veſicas duplicatas etiam liberam ſuæ fugæ reperiunt viam, ergo nervorum ſtamina fibroſa ampliari aut anguſtari amplius neſcia, non poſſunt eſſe cauſa illius ſtuporis.

Quid ni potius invertere liceat argumentum noſtri ſcriptoris, illud, quod attenuat, ſpiritus auget, aucti partim materiam ſanguinis & lymphæ replent, unde putatitia eorum humorum plenitudo, partim ſuâ maximâ ſubtilitate nervos diſtendunt, ut fiant inſtar Chordarum ad rigiditatem uſque tenſarum, hinc tunicarum & muſculorum fibræ nimium erectæ libram inflexionem & mollitiem amittunt, unde aut dolor, aut catalepticus quidem ſtupor toti Machi-

næ infestus oritur, an non melius res ipsa Mechanico ex ratiocinio in suo effectu delinearetur? quamvis non semper ex praxi illud appareret.

Sed missa hæc faciamus, quæ forsan adhuc nugaciora obveniunt Medico, nempe *Carotides solum*, non alias distendi debere per hanc fictam plenitudinem, eo enim in casu Phrenitici, Maniaci, & inflammatione veloci laborantes eadem effecta obtinerent, quæ hic ex opio sortitur secundum indubitatas Mechanices leges Machina nostra, ex iis enim easdem illas colliget causas unusquisque naturæ Ruspator, necessarias pro somno ex mente Auctoris imo ad soporem & stuporem causandum, quamvis contrarios in fines abeant: arteriæ enim in iis tumefiunt, sanguis velocior fit, nervi convelluntur & premuntur, pulsus incitatior, totum corpus excalescit frigoris patientissimum, sudores conspicui, imaginationes vagæ adsunt &c. in iis ægris delirium loquax attamen, & vigiliæ molestationes sunt perpetuæ.

Nec felicior est hic scriptor in aliorum Medicamentorum operatione explicanda. Nam inter emmenagoga primarium videtur æque in historiis Practicis, quam in hoc cap. 14. locum tribuere cortici peruviano, rationem addens, *quod sanguinem attenuet*, & eâ ratione plethoram promoveat, ob spirituales veloces, quæ in eo

cortice deliteſcunt partes ; an unquam tales partes inde per analyſin quamcumque extractæ fuere, profecto huc uſque ab nemine. Ex contrario ſpiritus ejus eſt adiaphoros, oleumque quod inde exprimitur valde craſſum exiſtit, inſtar fere picis vel balſami ſulphuris ſpiſſi, uti publice ſæpius & privatim demonſtravit indefeſſus rerum naturalium per Chemiam veram Ruſpator Le Mortius.

Si etiam tanta vis attenuandi, & incidendi humores penes hunc corticem eſſet, cur tam ſolliciti ſunt nobiliores Practici, ut ſalia ſolventia, vel purgantia quædam ei adjungant, aut brevi poſt tempore hoc præſcribant, ne ſuâ adſtrictione & pulvere indiſſolubili, oneri ſit humoribus ad ſcirrhoſum vel ſeroſum lentorem alias properantibus? Hiſce forſan non obſervatis vel neglectis cauſis, hoc cortice minus feliciter utuntur Romæ Medici, uti Pallillius in Epiſtola calumniis refertiſſimâ ad Baglivum data queritur, dicens Gallos hoc remedio frequentius & felicius utentes, forſan ex invidiâ, qua hic contra Tranſalpinos Doctores livere videtur, nil, niſi quod ipſe cum ſuo Baglivo Machinatus ſit, probans, Italos cum ſuperſtitione extollens, Romanos Medicos ad aſtra ferens, qui nunc, ait, hoc cortice rarius aut nunquam utuntur, & quidem minus feliciter, licet olim Patres e ſocietate Jeſu hunc in Europam

ropam primi attulere, ac Romæ in febribus cum ſucceſſu uſi ſint, eumque laudarint, & inſigni pretio vendiderint, publicatâ ſcedulâ ejus uſum pthtyſicis, hydropiciſque interdicentes. Habuerunt Italia & Tranſalpinæ regiones, etiam alios Medicos hujus corticis patronos, Antimum Conringium, cujus de pulvere peruviano febrifugo vindicato tractatus Romæ editus eſt, Rolandum Sturmium, Sebaſtianum Badium, & modernos Galliæ, Angliæ, & Germaniæ ferme omnes Medicos. Quid igitur eſt, quod conterraneos patres non reprehendat? quid eſt, quod pulverem Jeſuiticum ſuis infelici ſucceſſu propinet ægris Pallilius? niſi hujus erga illos cæcus amor & peverſa, quæ in rerum naturalium inquiſitione & inquiſitoribus, niſi forte Romanis non toleranda eſt, reverentia, niſi ejus & Italorum inſcitia pulvere patrum judiciosè utendi, quæ vera infelicis ſucceſſus cauſa eſt. Nam Italicum, quod incuſat, cælum, non tanto gradu differt præſens, ab eo quod 60. præter annos hanc regionem beabat, quo Romani patres, & Medici felici cum ſucceſſu, ut plurimum uſi ſunt hoc excellentiſſimo remedio, certe febrium intermittentium magno domitore.

Sed detur ad noſtrum reditus; ſi autem menſtrui ſuppreſſio in corpore bilioſo, calido, febrili, & acri humorum fervori obnoxio, ibidem cortex ille non adhibetur pro Emmenagogo, ſed

pro antifebrili & ſedante humorum æſtum; tali in caſu concedi poteſt in hypochondriacis, hyſericiſque affectibus, hujus corticis uſus, quo nomine eum laudat Sydenham: corticis hujus ſpirituoſæ partis defectus liquet ulterius in ejus per quævis liquida extracto tincturam paucam, & materiam liquidam in ſolidum ſtatum per evaporationem reducendam relinquente, quod in iis quæ velocibus & ſolubilibus inſtruuntur partibus, contrarium eſt.

Ex amaritie noſter pag. 157. de exiſtentiâ ſpirituum & ſtimulorum concludens, nil deſignat, quod veritati & experientiæ conſentaneum eſt: nam ſi hoc verum eſſet fabæ Coſſe crudæ fere inſipidæ ſunt, ergo inſulſæ, eædem crematæ amaricant, ergo jam ſalſæ redditæ, ſpiritu turgent noviter per ignem fabrefacto, hoc qui credat omni Chemia deſtitutus ſit, oportet, nam amarities illa per uſtionem producta fugam potius materiæ ſalinæ præſupponit; quod patet ex deſtillatione ipſarum crudarum fabarum nullum ſalem exhibentium, idem obſervamus in melle, ſaccharo, liquiritiâ, pane, per aduſtionem amaricantibus, non ex copia ſui ſpiritus aut ſalis, amarum guſtum præbentibus.

Novi tamen aliquos ſtatuere amaritiem denotare fixitatem cujuſdam ſalis, linguam pertinacius afficientis, ut patet in abſynthio, carduo benedicto, & ſimilibus ſalem fixum e ſuo cinere copio-

copioſum præbentibus, ſed quam ficulnea ſit etiam illa ratio exinde patet, quoniam ipſa amariſſima ſale illo deſtituuntur, ut fel, aloe, colocintis, & ſimilia, tandem ipſa evincit experientiâ non in ſale nec ſpiritu quærendam eſſe amaroris cauſam, ſed in aliâ materiâ ferè omni ſale privatâ & per ſe quietâ, ut patet in ſolutione argenti, cupri, & ſimilium, quæ amaritie ſummâ inſtruuntur in ſpiritibus acidis ſoluta, minorem autem amarorem in ſpiritibus volatilibus alcalinis; manifeſto inditio ſalem ibidem eſſe innoxium accedentem ad materiam ſolvendam, nam denuo detracta illa ſalia aſcendunt acida, ac terra metallica remanet inſipida; hanc ſententiam ulterius confirmat experientia, cum corpora amara per acida intenduntur per alcalina diminuuntur ratione illius guſtus, ut patet in Elixire proprietatis cum acido & alcali

An non præſtaret Mechanico hæc Mechanicè tractaſſe, prout Chemici ſolent nobiliores, nempe ex figuræ, & molis illius ſubſtantiæ, ſeu materiæ ſolidæ amaræ nexu, ordine, & ſerie. Amarities enim videtur dependere a tribus hiſce mediis, primo ex aſperitate ſuperficierum in ſingulis texturis exiſtente; ſecundo a rigiditate, & earundem duritie, ita ut inſtar limæ aſperæ & rigidæ linguam afficiunt; tertio ex ſoliditate partium ramoſarum in ſiccitate quadam exiſtentium, nam hoc videtur innuere ipſum oleum

quod

quodcunque aduſtum, ſeu craſſum Empyreumaticum, & oleum eſſentiale fere quodvis omni amaritie ſuæ ſubſtantiæ privatum, quoniam & rarior & flexibilior textura evaſit. Ultimum quod hanc ſententiam confirmat, eſt jactura amaritiei, quæ mediante ſola corporum amarorum digeſtione, evaneſcit, eo magis, quo ad majorem mollitiem rigida illa per digeſtionem redacta fuerint corpora in menſtruo, ſeu liquore potius alcalino quam acido, ita ut ſenſim dulceſcat illa extractio.

Poſitâ figurâ requiſitâ pro amaritie, an non patet vim amaricantium eſſe quærendam in aſperâ eorum figurâ, & rigidiori actione, quam reperimus in muriaticis ſalibus oleo leviter acri imbutis (nam amarities eſt minus gradus acredinis) omnia enim conveniunt ipſo opere; muriatica enim abſtergunt, & motui rigidiori inſerviunt temperato, ſpiritualitatem nimiam compeſcunt, liquiditatem blandam conſervant uno verbo ſenſui naturali ſubminiſtrando aut recuperando inſerviunt, hæc ipſe aër temperatus demonſtrat, ipſa loca maritima in calidis regionibus evincunt, ipſæ exhalationes rorida ſalium regionum probant.

Amara igitur ſuâ ſcabritie & aſperitate loculos pituitâ viſcida obſeſſos ſtagnationis, aut putridæ, aut acidæ auctores, quaſi everrunt & expurgant, nimiamque ſpiritualitatem portionum

num velociorum, ut & earundem insensibilem lentorem suâ acie corrigunt, sua soliditate obtundunt, suâ vellicatione ad secessus cogunt, tandem rigidorum instar cuneolorum sibi aliisque vias ad naturalem progressum vel eliminationem sternunt.

Sed quemadmodum usus multum commodi, sic abusus multum incommodi ex amaris proferre solet, colliquantur enim sæpius humores nimiâ incisione, & attenuatione rigidâ illius & asperæ materiæ, tanquam tot cuneolis divisos, motus etiam magis sensibiles redditi, ob repetitam sæpius arietationem postmodum extraordinarias quasdam vias sibi fabricant Machinæ planè adversas, quod etiam familiarissimum est in plurimis sale & spiritu abutentibus, ad hydropem aut scirrhum reductis.

Unicum quod maximum amaricantium effectum, est ratardatio motus nimis velocis intestini ad acidum tendentis, hinc enim Zytopœi amaricantibus simul & adstringentibus utuntur, ut liquores suos potabiles a nimiâ solutione continui, id est, a putredine & aciditate, præservent.

Ideoque a maricantia possunt esse Emmenagoga, non ratione ipsius salis redundantis, nec plethoræ inducendæ, sed ut liquida, nimis mollia & obtusa in suis texturis, reddantur rigidiora & aspera, ut vellicando, fricando, atteren-

terendo ipsa vasa nimis indurata & incrassata, veluti scarificatione quadam, vel inflammatione levi inducta, minus resistentia sint, subjecta magis sensui & arietationi, reddita; eodem modo enim prout bilis redundans copiosos efficere solet menses, sic etiam amara eidem censuræ & regulæ sunt subjicienda.

Ex hac etiam ratione Mechanicâ amara vermibus prodesse dicuntur, in quantum illa rigiditate & asperitate suâ horum texturam discontinuant teneram, prout eadem insecta a sale quocunque muriatico vel acido dissolvi & interire solent.

Si vero quis objiciat amara posse putrescere, & hac ratione vermium patriam constituere, illius objectio facile, ex ipsius amaroris corruptela diluitur, nam & amara inconstantia sunt, prout reliqua corpora legibus motuum mundanorum subjecta, ergo non quatenus amara rigida & solida tunc temporis consideranda veniunt, sed tanquam ab illo statu recedentia & alius generis particulas admittentia.

Amara insuper existunt vulneraria & mundificantia ex iisdem planè rationibus, vehunt enim rigidas & asperas superficies, ergo extirpant malum, prout instrumentis Chyrurgicis & salinis fieri solet, cicatrizant ipsas partes mundificatas, quoniam abundant oleo crasso emplastico, quod motum tenuis liquidi impedit in-

involvendo, qui plerumque in ſero vel lymphâ acriori pus conſtituente viſitur; tandem dolores ſedant amara ob idem ſulphureum corpus, ſpirituum animalium impetum ſedans, ipſoſque nervos placidius afficiens, omnemque inflammationem arcens, utpote quæ ad naturam ſive mucaginum, ſive oleorum craſſiorum & ſixiorum accedunt.

Multum autem differentiæ eſt inter amara, quæ ſimul ſunt adſtringentia, aut non, & inter ea quæ ſale tenui gaudent veloci, vel eo deſtituuntur, nam exinde totus ſcopus Medicæ intentionis, ſaltem apud prudentiores Medicos eſt expiſcandus; ut illud autem agnoſcatur. Primo proponi debet qua ratione ſalia & ſpiritus ſeſe habeant ad materiam, & ex contrario quomodo ſeſe habeat materia ad ſpiritus.

Spiritus & ſalia quantum in ſe eſt indifferenter ſeſe habent ad materiam, cui vel accedunt vel immerguntur, ſi ortum naturalis motus omnium corporum proſequamur in ipsâ vegetatione ſeſe manifeſtantem; prout radii ſolares, aër purior, & aqua ſeſe habent ad omnia mundana corpora, ideoque eorundem actio in duplex illud effectum incidit, movere nempe, & rarefacere denſam materiam, quam ſubeunt: eadem illa ſalia & ſpiritus dein occurrunt, tanquam inſtrumenta quædam rigida & velocia materiæ ipſius obtuſæ, & in vicinia ſua quietæ, vim ſuam

cum

cum poteſtate actionum evidentiorum communicantia, quibus deſtituta alias eſſet ſolidior materia, in occurſu mutuo ad alia corpora, ut patet in omni materiâ magis minuſve ſpiritu, tanquam ſtimulo egregio, & quaſi vivifico ad exercitia naturæ ſuſcipienda, nobilitatâ.

Poſtmodum eidem ſpiritus immerſi materiæ obveniunt, tanquam corpora velocia, ſed ubique retardata & cincta per ipſam quietam materiam, cui quamdiu annectuntur, neceſſario tamdiu ipſa, ad nutum illius materiæ, figuram & formam ipſi ſpiritui ſalino propriè inducentem, ſuas proferre coguntur operas. Hæc autem effecta ex ſale vel ſpiritu non procedunt, ſed ex Mechanicâ illâ diſpoſitione materiæ ſolidæ illud opus exequuntur. Illud patet ex Machinâ humanâ, ex remediis, ex alimentis, ex venenis, nam in hiſce operibus ſemper reperiet homo miniſter naturæ variantia effecta, quæ non ex ſale vel ſpiritu procedunt, ſed ex comformatione ſimilium texturarum, partiumque ſolidarum, variâ figurâ & mole inſtructarum: ex: gr: ubi ſalvia & ruta in locis arſenicali materiâ imbutis naſcuntur, quamvis ſpiritus ibidem latitans & figura plantæ externæ ſint ejuſdem conſpectus, attamen latitans virus arſenicale, per ſpiritualem fluorem vegetativum e ſolo communicatum, deleterias præbebit vires: Idem patet ex deſtillatione cantharidum, opii,

opii, & ſimilium, ſpiritum volatilem alcalinum dimittentium, in quibus unuſquiſque reperiet hoſce ſpiritus ex materiæ ſuæ alteratione & præcedentis figuræ deſtructione, amiſiſſe vim nativam veſicatoriam & anodinam, quam leviorem aut leviſſimam tantum adhuc reperiet in parte oleosâ, vix cum ipsâ ſubſtantiâ ipſorum ſimplicium comparandam.

Tandem differentia notabilis, quæ in hiſce ſalibus, etiam materiæ adhucdum immerſis, vel vi inde expulſis ſedulo a Phyſico-Medico notatur, & quidem merito, ſi ad motum & velocitatis aut reſiſtentiæ momenta reſpiciat naturæ Ruſpator. Si vero ex ipſo ſolo ſpiritu vel ſale concludere velit, de hoc illove opere limitato aut ſpecifico, quod ex illâ materiâ ordinarie reſultat integrâ; fruſtra ea venabitur, ideoque primo ad illius ſpiritus incluſi tenuitatem attendit, ac in hac contemplatione promptitudinem ſolubilitatis & ad celeritatem pronæ materiæ obſervabit, quæ illo fulcro ſpirituali ſuſtentata celerius ætheris & aëris commercium cum calido noſtro, ſeu ſpirituali fervore naturali permittit. Hinc Chemici rectè pronunciarunt, corpora non agunt niſi ſoluta: exinde etiam apparet cur Chemici talibus utuntur ſtimulis in præparatione & adhibitione medicamentorum; etiam natura ipſa illud demonſtrat, quod ea ſive medicamenta, ſive alimenta, ſive

venena ſint, eſſe in ſuo opere potentiora, quæ in calidioribus locis creſcunt, & quæ ſpiritu oleoſo per excellentiam gaudent. Idem comprobat contagioſus aër, ſyrius æſtus, inflammationes & loca etiam omnia tam intra quam extra noſtrum corpus, quum ex ſtagnante humore ſpirituoſa effluvia fulminis ſeſe exercentia, ex mera talium extricatione cum ſubtiliſſime comminutâ materiâ moleculas & miaſmata conſtituunt vagabunda. Hinc & ipſæ remediorum, ſpiritu veloci turgidorum doſes Medici diminuunt: quæ ulterius ad praxim deducere nimis longum hic foret, unicum tantum ſit pro omnibus exemplum, ut inde noſtri dicti, ex factis naturæ, liqueat probatio.

Omne corpus morbo calido affectum ardenti, aſſumta remedia commoventia, ad motus ſummum faſtigium reducet, niſi prudenter à Medico propinentur, quod eſt notiſſimum ex purgantium, imo & diaphoreticorum acrium familiâ in tali ſtatu exhibitorum, ex contrario omne corpus, quod frigido & Chronico morbo langueſcit, vix ac ne vix quidem commoveri poteſt, niſi ab acribus ſtimulis Medicamentoſis, etiam in majori doſi applicandis adjuvetur. Sic enim liquet in priori ſtatu remedia comminutis & ſpiritualibus humoribus occurrere, ipſius remedii materiam maximè comminuentibus & ad ſpiritualem fluorem

orem deducentibus; ubi ex defectu ſpirituum & materiæ lentore nullum accedit ad remedia adhibita auxilium, quæ in craſsâ ſubſtantiâ ſolidâ perſiſtere ſemper coacta, nec ſenſum nec motum ſtimulare queunt.

Ubi ſalia fixa ibidem adſunt, ad ſolubilitatem, illa relationem habent, ipſius materiæ, ſed non ad motum propriè loquendo, niſi eum, quem augere queunt tales cuneoli diutius inſiſtentes in materiam ſanguinis & humorum, ubi contrariæ cuidam figuræ ſalinæ ſeſe immergunt cum violentiâ quadam poros & interſtitia ſubeundo & aperiendo, ſimul liquida quæcunque, tenuiora ex aëre & aquâ accedente facta, impellendo & congeſta expellendo. Sic enim duo prodeunt opera; primo internus, ex lucta duorum corporum in amplexum mutuum ruentium, fervor. Hinc ſæpius ſudores & tranſpirationes augentur, a fixiori hoc corpore intermiſſum igneum vigorem ſuſcitante ſuâ ictuum & attritionum magnitudine, circa omnia materiæ occupandæ latera. Secundo, figuræ & molis materiæ peccantis mutatio & alteratio, quæ lentoris cauſam & malignitatem tollit, aut ſaltem pro maximâ parte imminuit. Hoc opus aliqui Medici nominant mortificare acidum, aliqui incidere & attenuare. Tertium vero quod maximum eſt opus hiſce ſuperveniens, reſultat ex materia remedii, ſeſe com-

binante cum ipsâ materiâ peregrinâ, unde proprie abolitio figuræ & molis morboſæ reſultat, quod ſali illi adſcribi nequit niſi per accidens.

Salia ubi acida, ſive fixa ſive volatilia, adſunt in materiâ Medicamentosâ, quoad ſalinam ſubſtantiam ſecum ferunt retardationem velocitatis nimiæ & acredinis, vi ſuâ adſtrictoriâ & coagulante, ſed ipſa materia adjuncta acido ipſos fines & intentiones operum Phyſicorum & Medicorum dirigit: ſic unus idemque ſpiritus ſalis antimonium, mercurium & ſolem ſolvens, nullam relationem ſtricte habet ad illum ſpiritum, ſed ad ſolutum corpus, ex ſ vires ſuas exeret Medicas, quod & in ipſis experimentis patet extra Machinam, ſuper ſanguinem lympham & bilem factis.

Conſtantiores etiam exiſtunt operationes horum ſale acido inſtructorum, quoniam gravic moles & denſior ſtructura illius materiæ. Temperata etiam dicuntur effecta talium, quoniam motus humorum biliöſorum atroces ſedant, olc oſiſque ſphærulis independentiam maximam ad munt; unde in locis calidioribus & in morb ardentibus talium maximus eſt uſus, pro refc cillantibus & temperantibus remediis, etia cardiacis dictis, ut patet in citriis, aurantiis granatis, acetoſa & ſimilibus.

Inſuper motui blando inteſtino promovend inſerviunt, ut primarum viarum functionibu

pro

prosint, unde acetariorum & piperatorum frequentissimus in culinâ usus ac vinorum acidiusculorum laus emergit, sæpius ad abusum usque, exinde etiam spiritui vini subtilissimè inclusum acidum vires coagulatorias præbet, in pluribus nostris humoribus & in albumine ovi, aliisque mucaginosis & gelatinosis corporibus.

Muriatica ubi delitescunt salia, illa ad materiem mediam sunt revocanda, inter alcali & acidum, ex utrisque enim participant inter se mixtis; ita tamen ut ab acido potior dependeat effectus, si mera respexeris salia, alias eidem censuræ subjicienda sunt, scilicet quod non sint proprii juris & libertatis in agendo, in quantum materiæ diversæ associata fuerint, sic sal commune, nitrum, alumen, sulphur &c. in spiritus acidos & alcalinos ac in salia fixa converti possunt, motu & miscelâ extraneorum corporum accedentium, quæ nexum & ordinem pristinum deturbant vel alterant.

Materies, coordinationem formarum gignens, eatenus potens dici solet, quatenus resistentiam contra aliorum corporum injurias obtinet satis firmam; ita ut mediis etiam in turbis figura maneat instar scopuli inconcussa, permanente enim illa permanebit etiam actio, ex necessitate illius figuræ prodiens.

Impotens est materia, quæ inconstanti nexu instruitur, ita ut facile aut discontinuetur

aut *annihiletur* cum actione figura. In priori ſtatu mineralia & metalla ſic dicta, dein oleoſa omnia ſulphurea locum habent; in poſteriori pleraque vegetabilia mollia & humida, ut & ipſa aqua reponi debent, cito enim, quod ſolvitur ad motum inteſtinum tendens, corrumpitur, adeoque in ſuâ materiâ perit, ipſaque intermixta ſalia & ſpirituoſa nutum illius materiæ ſequentia alium amplectuntur ſtatum, tandemque ipſa illa materia in favillas, cineres, pulverem & calcem abit, quæ eſt mors materiæ ſeu ejus corruptela, novam ſtructuram induens, ubi hic illic denuo intercipitur & diſponitur, puta in corpore quovis plaſtico & glutinoſo, id eſt balſamico aqueo, in quo rudimenta & exordia rerum vegetantium conſpicitur.

In hac materiæ converſione, hæc ad ultimum comminuta paſſive ſeſe habet ad materiam excipientem, cui in nutrimentum cedit, ita tamen, ut quædam viſum ſubterfugientes ſuperficies, integræ poſſint ſupereſſe figuræ illius corporis, ex quo poſt mortificationem illam prodiere; illam autem figuræ integritatem ubi pertinacius retinent illius corporis mixtionem efficiunt in ipſo ſimplici qua diſtinguitur ab alia una eademque materia & forma externa apparente in ſuis qualitatibus & exterioribus accidentiis; ut ſuperius in ſalviâ & rutâ

nota-

notavimus, quod etiam in omnibus fructibus diverſo ſub cælo & ſolo natis liquet.

Hiſce rite perpenſis facile patet, cur ipſa decompoſita ita examinent Medici, illaque poſtmodum quorundam corpuſculorum acceſſu & receſſu ad experientias revocent varias, admodum utiles arti Medicæ. Sed proh dolor! prout in hoc noſtro liquet, opium, ſpiritu alcalino præditum, confundit cum cortice peruviano, aliiſque nullum aut contrarium ſalem præbentibus, oleo autem craſſo, ſale fixo, acido vel ſubacido præditis. Imo hiſce adjungere non veretur mineralia, ut chalibem & mercurium, ſeu hydrargyrum, quæ toto cælo differunt. Si hæc omnia inter Emmenagoga ſint numeranda, omnis medicamentoſa ſupellex eodem planè jure ut illo titulo inſigniatur, omnibus licebit Medicis & Medicaſtris.

Si ſapor ut noſter arbitratur, indicet ſimplicium vires, dic quæſo? colocynthis eſt amara, abſynthium eſt amarum, &c. ergo vires eaſdem obtinebunt; credat cui fungus eſt in cerebro. An ſapor acris & amarus ad indicandam præſentiam ſalis volatilis ſufficiunt? ergo piper, cinnamomum, pyretrum, &c. debent ſal volatile poſſidere, in cerebro talis Mechanici fabricatum, ſed non in alembico Chemicorum prodiens; nullibi enim hoc in demonſtrationem cadit. *Si utero ſtudeant aromata omnia*, ut

vult pag. 158. illa eadem motui inteſtino ſtudent, rigidaque proferunt in campum corpora, abſtergentia & viſcidam materiam lentam everrentia, quæ ſenſui & motui adverſa eſt, ergo hoc pro Chemicis & eorum fermento eſt, illud enim liquet, cum piper & ſimilia liquoribus injiciuntur, ad fermentabilitatem acrem reducendis.

Salia urinoſa, Emmenagoga eſſe proprie adhuc non liquet, niſi ſub generali claſſe comprehendas, in quantum ſtimulos actionum promovent, liquiditatem augent, ſenſumque incitant ad fortiores ictus. Sed illud non demonſtrat menſium proprium eſſe remedium, nam illud multo potentius efficiunt balſamica muriatica & diuretica, quæ propriè Emmenagoga dici queunt, ut patet in omnibus iis, quæ a primâ ætate Medicâ uterina dicta ſunt ſemper certo gradu diuretica.

Idem ſtatuendum eſt *de cardiacis*, utpote quæ propriè menſes non reſpiciunt, ſed tantum ſuperiores vias corroborant, imo quæ ſæpiſſimè noxia ſunt, ut uberrime in praxi liquet. Idem de *diaphoreticis* dictum eſto, niſi ſimul diuretica ſint, unde muriatica & alcalia fixa duplo plus proficiunt pro Emmenagogis, quam omnia ſalia volatilia urinoſa & reliqua nominata acria, imo unicus ſapo venetus, cum diuretico pulvere, oleo vel balſamo præparatus

&

& compoſitus, plus valet omnibus illis præſcriptis; tandem unicum lixivium ſaponariorum per experientiam edocet ſuum Ruſpatorem, ſe eſſe verum liquidi illius ſanguinis ſeri & lymphæ interceptionis remedium; quod patet ex illius affuſione ſuper ſanguinem, ſerum, lympham, bilem &c. in optimas ſolutiones & tincturas reducenda.

Ad experimenta cum pervenio, ab noſtro Auctore propoſita, ibidem ejus figmenta & eorum vanitatem ubique reperio, talia enim aſſerit ac intermiſcet, quæ experientiæ ipſi repugnant. Hoc ſtatim in primo apparet, pag. 160. ubi *ſpiritum ſalis ammoniaci, & ſalem ammoniacum* eadem effecta præbere ſuper ſanguinem aſſerit quod falſiſſimum eſt, vel ab ipſo non bene notatum.

Ubi *tincturam corticis peruviani, cum ſpiritu vini extractam*, cum ſanguine confundit, ubi obſcuritatem & craſſitiem notat, immemor antedictorum de peruviano cortice, ſed immediate corticem vino ſaturatum addit ſanguinem fluidiorem & elegantiorem reddi, an hoc ex ſpiritu vini, aut vino aut cortice dependet? abſque dubio a liquidis, corticis minimam quantitatem excipientibus & admittentibus in illâ extractione, ergo a potiori liquido hæc apparitio experientiæ, quod etiam ſeorſim tentari poteſt, ſed in Machinâ poſt conſumptionem liquidi ſuperflui alia res eſt.

Sic plurima imprudenter fiunt experimenta, non ritè obſervatis circumſtantiis, ideoque illud quod ſtatuit de *ſale geniſtæ, abſynthii & tartari*, merito ſuſpecta ſunt, fluiditatem nempe ſanguinis rubentis inde majorem illuxiſſe; hæc enim fluiditas aut parum aut nihil mutata in omnibus experimentis a me viſis & factis mihi apparuit. Solum autem ſaponariorum, ut dixi, lixivium pari paſſu cum ſpiritu ſolis ammoniaci alcalino pergit ad liquiditatem conciliandam: reliqua experimenta, quæ ex oleoſis, reſinoſis, aut gummoſis & terreſtribus fiunt ſuper humores noſtros, aut parvi ſunt ponderis, aut ita ſunt tractanda, ut mutua concedatur corporum coalitio, ex qua reactionis cujuſdam ſpecies emergit, alias impoſſibile eſt in hiſce vel quidquam recte concludere.

Hinc moneo tyrones & omnes Medicos, qui hæc propriâ manu velint pertractare, ut in ſimilibus judiciosè faciendis ita procedant, primo, ut ad ſpiritualem vel liquidum ſalinum ſtatum ea redigant; ſecundo, ut ſpiritus vel ſalia ita ſaturentur ſolvendâ aut ſolutâ materiâ, ut nihil amplius in ſuis poris excipere illa queant; tertio, ſi lentior ſit materia, tepide confundantur liquores vel calide accedant ad experimenta; ſic enim vibratio & arietatio mutua major erit. Diluens aqua ipſam experientiam potius retundit, quam promovet, niſi judicioſe

addita

addita fuerit, unde falsa evadunt illa vel inutilia fiunt experimenta, quæ ex decoctis aquosis sumuntur, qualia proponit noster pag. 162.

Hoc dicere & demonstrare æque facile est, prout experimenta publicè & privatim à me visa illud edocuerunt. Serum enim sanguinis coagulatum cum quocumque fere acido liquore, illud amittit coagulum super fusa aqua & cum ea agitata, planè enim disparebit, modo sanguis fuerit sani hominis. Sed quæ plane judicioſam & vere practicam experientiam respiciunt, illa passim & uberrime in auditorio Chemico Lugdunensi demonstrantur, & a me privatim ulterius summâ cum voluptate, tentata fuere. Decoctus igitur cortex peruvianus, secundum hunc auctorem, cum raritatem sanguinis promovet, illud non cortici sed aquæ est imputandum; idem de vino intelligatur rarefaciente, sic & de aliis aquis simplicibus officinarum judicandum. Quod de alcalicis pronunciat pag. 165. semper resolventibus sanguinem & humores, illud etiam in plurimis falsum est, quod urinæ plurimorum hominum demonstrant in coagula facescentes, præsertim pthysicorum, per additionem alcali, ut ex contrario acida per excellentiam eadem resolvunt coagulatas urinas, quod idem in sero sanguinis plurimorum ægrorum visitur: sed ea a me visa, à me ulteriori examini curioso

sub-

ſubjecta nondum ſunt, ſed penes meum olim præceptorem, harum rerum ſcientiſſimum Jac. Le Mortium adhuc dum latitant, ut ſpero in ordinem redigenda & tandem publicæ luci tradenda, innumeris experientiis & circumſtantiis ſtipata.

Sed demirari ſatis nequeo hominis imprudentiam, ubi inter alcalia refert pag. 165. Chalybem in aceto ſolutum, nam qua ratione illud aſſertum demonſtrabit, ex Chalybe ſaltem nunquam, ex aceto multo minus. Si autem rem ipſam noviſſet ex arte tinctoriâ pronunciaſſet, ubi ſtatim ex flavo & ceruleo mixtis, viridis color emergit, etiam in ipſo pulvere & pigmentis: Sic ſmalta cerulea cum auripigmento flavo viridem exhibet colorem, abſque alcali vel abſque ſale, (conſule de hiſce experientiſſimi Boylei tractat. de coloribus & ſpeciatim experiment. 12. part. 2.) ſic tinctura croci vel ejus infuſio in aqua communi, cum infuſione florum Cyani cerulei vel aquilegiæ vel violarum viridem colorem proferunt; unde hic etiam tinctura flava Chalybis, tincturæ ceruleæ violarum, idem opus peragit, nullâ habitâ ratione ad alcali. Quod de viriditate nitidiſſima loquitur, p. 166. ex ſpiritu ſalis ammoniaci continente Chalybem. Illud debetur ſpiritui alcalino veloci ſolvente & intimius utraſque tincturas uniente, quod de cupro etiam

tiam dicendum; ubi tincturam ſuccini adfert, ea aut pauca eſt aut tantum debetur ſali ammoniaco. De reliquis tincturis idem ſtatuendum venit, ſpiritus autem ſuccini ſi ritè præparatus & rectificatus fuit, in rubrum vergit colorem mediante ſuo acido cum ſyrupo violarum, quam mutationem hic negat, forſan ignarus hunc ſpiritum eſſe acidum ejuſque ſal volatile muriaticum, alia effecta ex oleo ejus petenda ſunt. Ideoque confuſe rem tractat & contra ordinem naturæ & Medicinæ procedit, ubi in pleriſque ſpiritum ſalis ammoniaci ſuccinatum ad experimenta ſua invocat, quæ duo ſalia toto cælo differunt; ſpiritus tartari etiam non demonſtrat alcali ullius præſentiam ex colore imbecilli viridi, nam eſt ſpiritus adiaphorus, ſed ejus pars oleoſa flaveſcens ſpiritui huic empyreumatico intermixta, cauſa eſt illius viroris leviuſculi, quoniam & illa pars oleoſa minima eſt in hoc liquore. Idem de ſolutione oſtreorum in aquâ forti & quorumcunque conchiliorum & teſtaceorum, in acido ſive ſulphureo ſive oleoſo cenſendum eſt; ubi pallidiuſculus viror inde reſultat. Hinc ſpiritus nitri, aqua fortis & acetum illud præbebunt, ſed non ſolutio quæ facta fuit cum ſpiritu vitrioli, ſalis, aut ſulphuris, hinc omni errore plena eſt illa conſequentia pag. 167. protruſa, quod Emmenagoga ſint æſtimanda ex *retuſione*

& ſuperatione acidorum menſibus adverſantium, quamvis & in hac parte, ipſe auctor pro Chemicis potius certet quam pro ullis aliis, ſcilicet indigam eſſe menſtrui fluxus ſtimulo ſalino alcalino & acri, ut ſuſcitetur ille amiſſus vel hebetatus actus excellens, fermenti nomine pleriſque cognitus, alias ſpirituum animalium & particularum ſalinarum tenuium præſentia etiam cognoſcitur & diſtinguitur apud nobiliores.

Quod ulterius ratiocinatur noſter de ſpiritu ſolvente & corpore ſolvendo, illud ad materiam craſſam ſalia illa diſponentem & modificantem pertinet, non propriè ad alcali. Illud ut demonſtretur, ſi a cupro & ferro abſtrahas affuſum acidum, illud aquoſitate potiori poſtquam privatum fuerit acidius prodit, ergo ratio non dependet ab alcalizatione; ſi acida affundantur teſtaceis & cretaceis, ſpirituoſior non acidior prodit liquor, inſtar ſpiritus volatiliſſimi & tenuiſſimi ſubacidi, meliorum virium exiſtentis, quam ſunt alcalina vel acria: acidorum enim tenuium natura & indoles huc uſque in obſcuro apud Medicos latet. Eorum enim poteſtas conſiſtit, in ſolvendo humorum compagem maximè ad flatum naturalem reducendorum; ideoque optimo auxilio ſunt ſalivæ & ventriculo, & inter Emmenagoga non ultimum locum poſſident, ſic & in calculoſis affectibus mira præſtant. Hoc evidenter patet, ex feli-

ciſſi-

ciſſimo acidularum uſu, & quoniam mulierculæ, menſtrui fluxus retardationem quam maxime accelerant per alcalina in abuſum tracta, ut infinita teſtantur exempla practica.

Quod de ſubflavo colore indicat p. 167. ex alcalinis ſublimato corroſivo intermixtis, illud plane contrariatur experientiæ, ſi volatilia alcalina huic numero ſint inſerenda.

Experimenta per injectionem facta vel nullius ſunt uſus vel ridiculè propoſita, nam in venas liquorem injicere, eſt motum circularem impedire, infarctus promovere, aërem præcludere, adeoque mortem anticipare, & ex cadavere poſtmodum pronunciare; ideoque illa cum ſilentio tranſeo.

Sed quid de hydrargyro ſentiat p. 172. profectò omni admiratione dignum eſt, duo nempe conſiderat, *gravitatem & acidorum aculeorum retuſionem*, procedentia ex operatione hydrargyri Medicâ.

Novi Medicos phyſicos plurima gratis reponere de mercurii gravitate, & ſphæricâ figurâ admodum inter ſe independenti; unde momenta ſanguinis erunt validiora, cum impetu fortiori in vaſa capillaria, ubi ſtimulis hydragyricis ſanguis armatus proceſſerit, ad arrietationem validiſſimam, diſtendentem ipſa vaſa obſtructa.

Sed ridiculum hoc argumentum ad uterum

eſt,

est, nisi forsan intelligat uterum lue venerâ vel scabie infectum, nam operatio mercurii est salivatio per os & non per utreum, adeoque remotiora illa loca distinguenda sunt, ipsiusque humoris ex Machina producendi per mercurium, non sanguis, sed lympha & serum est, & non nisi per accidens sanguinis grumi aut cruor in salivatione apparent, oſculis venarum erosis & læsis.

Imo illud sal Philosophicum vel Mathematicum, quo sua ratiocinia condire solent tales Medici, levitas nempe & gravitas, sunt in plurimis tantum commenta, in aliis experimenta, si nempe ipsa instrumenta consideres mercurio replenda, quod hic locum non habet in nostrâ Machinâ, multo minus in praxi, ubi granum unum mercurii corrosivi, totum corpus percellet, & fere per omnes vias, purgabit, sed præcipuè & fere unicè per os; quænam illa est relatio gravitatis, ubi unum ad centum millia granorum comparari debet?

Quod de ejus natura alcalina dicitur, illud ab omni veritate alienum est, quod demonstrant omnes experientiæ & quæcumque analyses factæ; nam quod mediante salivatione acidum tollatur, non magis verum est, quam quod mediante purgatione per inferiora illud fiat, aut quod sola bilis per rabarbarum expurgetur &c. superfluum enim serum aufertur,

pec-

peccans in glandulis & vaſis lymphaticis, per motum inteſtinum; lenta & ſimul acris lædens materia, in altioribus locis hærens, & rodens undique ac undique, partim ut emendetur, partim eliminetur, quod Medicæ intentioni ſufficit, nam ulterior cura ab aliis Medicamentis petenda. Sed libenter ei concederetur a Chemicis quibuſdam, fermentorum acribus Patronis, Mercurium eſſe verum Emmenagogum, quoniam ex inde optime ſuam ſententiam confirmarent de fermento; nullum enim opus, magis fermentationi comparari poteſt, quam ſalivatio.

Quod de Chalybe pronunciat, illud etiam gratis dictum eſt, nam ejus vis a laxativa in principio, & vi adſtrictoria in fine dependet. Prima actio ex portione ejus ſpiritualiori ad ſulphuream quandam naturam accedente dependet; quæ materia ſubtilior & ſulphurea, ex mera frixione & attritione ſuperficierum Chalybis dignoſci poteſt, imo quæ ex ipſius aquæ acceſſu emergere poteſt, ubi ſponte in crocum per aërem & rorem convertitur Chalybs, qui etiam apparet in acidulis, ut & in vaporibus ex ſolutione Chalybis aſcendentibus. Adſtrictoria ejus vis, in parte fixiori hæret, actionem ipſam ſpiritualem obtundente, & liquida in humoribus ad auſteritatem converſa ſuo acceſſu infarciente, unde Chalybis uſus peſſimus

eſt in menſibus ſuppreſſis, niſi ſalacibus minimâ in doſi offeratur limatura vel crocus, ſale tenui prohibente auſteritatem & ſubſidentiam ejus terreſtris materiæ, damnatæ a Chemicis dictæ, armatus? Hoc patet in præparatione croci martis aperientis & adſtringentis; adſtringens enim ſolâ calcinatione obtinetur, poſt omnis fluidi privationem, reſtante materiâ ſale privata, ideoque cautè in Chalybeatis procedat Medicus, ni velit ſucceſſu fido privari in Emmenagogis remediis, plures enim eo uſu perverſo intereunt, quam ſanantur.

Balbutiens, rerum, naturalium cognitione parum inſtructus viſitur Auctor, in ſaporum adſtringentium enumeratione, ubi inter eos enumerat ſalem tartari fixum, & inter acerbos ſpiritum ſulphuris, nitri, & vitrioli: quæ nam, quæſo hæc eſt comparatio & relatio inter planè contraria acida nempe & alcalia? & cum ſal tartari fixum & tartarus vitriolatus ſint laxantia & diuretica, inter menſes promoventia, non ſiſtentia, reponi debent, prout hic noſter ſolet, ad adſtringentium claſſem illa revocans. p. 175. Acerbum etiam aliquid aliud eſt quam merum acidum, conſtat enim ex acri & acido; ſic etiam non eſt ſubacidum ſal marinum, ſed vinum rhenanum, tartarus; ſpiritus muriaticorum ſalium plegmatici, qui ex plurimâ aquâ & pauco acido conflantur, ſic ſpiritus ſalis &

nitri dulcis, ſi ritè præparentur, ſunt acres & acerbi, non *ſubacidi*, ut noſter vult, dicendi.

Si Medicamenta, quæ linguam pungunt & vellicant, contractilem ſtatum fibris inducant; acre guajacum, pyretrum, Euphorbium, contrajerva, &c. inter adſtringentia erunt numeranda, imo pleraque purgantia, gutta gamba, tythimalus, tota convolvulorum & mirabilis peruvianæ claſſis, ut & qui ex hac deſumitur, radix jalappæ, turbith; venena quoque arſenicum, mercurius ſublimatus corroſivus, cum antimonii butiro horum claſſi inſerenda eſſent, quod abſurdiſſimum eſſe quis non videt, etiam leviter oculatus?

Pulſum deprimi & imminui ſtatim per adſtringentia non liquet, nam opium etiam adſtringit, pulſum vero non iminuit, pleraque cardiaca adſtringunt pulſum incitantia, forſan illud de adſtringentium abuſu notare aliquis poterit longiori, præſertim ex terreſtribus.

Ea, quæ in experientiis illorum adſtringentium acidorum, notantur non reſpectu ſolius adſtrictionis ſed fixationis & præcipitationis partium tenuium in fluidis contentarum, contingunt; & tunc ex coaguli depoſito receſſu, fit obſtructio & adſtrictio vaſorum, non autem vellicatio & punctura fibrarum: uti ſuperius etiam in adſtringentibus indicavi.

De muriaticis ubi loquitur ſalibus, nempe

de ſale Chalybis, prunellæ, vitrioli, & ſaccharo ſaturni, ibi lector annotet ad materiam in ſale ſolutam, & hebetantem ipſa ſpicula ſalina eſſe reſpiciendum, ita ut non temerè illa ſeorſim ſed primo, dein ſeorſim recipiat & examinet, alias incaſſum operabitur & pronunciabit, eaque ſalia in parva quantitate aquæ puræ ſoluta ad ſuas experientias faciendas capiat, ſi notabiliores effectus velit obſervare.

Tinctura corallii hic nominata ab Auctore, an unquam ab ipſo viſa fuerit dubito, cum potius figmentum illud credam Chemicum, reſultans enim color forſan menſtruo addito debetur, non coralliis, ideoque inter vana experimenta eſt recenſenda, vel ad menſtruum reſpiciendum venit.

Si autem ſolutione coralliorum fiat coagulatio, illa ipſi acido non coralliis eſt adſcribenda, & cur corallia quæ alcalinæ ſunt indolis æque ut teſtacea & conchilia omnia inter adſtringentia numerentur, profecto non capio! nam hæc repugnant ſententiæ Auctoris, ubi alcalina recenſet inter menſes promoventia: eadem ubique eſt confuſio in phantaſtico plethoræ figmento, & in Medicamentis, ut & in experimentis.

Circa acidorum experientias ſuper ſerum judicioſe faciendas, acida diſtinguat oportet, in tres claſſes, primo acida volatilia, quæ nempe

in deſtillatione levitate ſuâ aquas præcedunt, ſecundo, quæ graviora ſunt aquis, immediatè tamen poſt illas aſcendentia, tertio in acida fixiora quæ non niſi ſummâ ignis violentiâ altum petunt, & pondere graviſſimo inſtructa ſunt: hiſce tribus phlegma illud aqueum acido tenui inſtructum adjungat; hæc cum diſtincta obtinet naturæ Curioſus acida, miram in experimentis obſervabit diverſitatem, quæ uſui practico extendendo utiliſſima ſimul ac nobiliſſima eſt, ibidemque erroneos & veros acidorum uſus in praxi & experientiis animadvertet.

Hoc obiter hic tantum monebo ſalis acidi levitatem a leviſſimâ ejus materiâ dependere, quam antiqui nominabant ſulphur Embryonatum verum anodinum, furores archei noſtri, ut cum Helmontio loquar, ſive ſpirituum ferocius tumultuantium ſedans; unde planè alia inde producuntur phænomena, quam ex acido ſubſequente; proximè autem accedit phlegma inter hæc duo ſalia participans de materiâ intermediâ, acidum autem inſequens, materiam magis gravem poſſidet, de ſulfureâ naturâ vix participantem, levem potius mineralem ſubſtantiam exiſtere, junctam ſali etiam graviori. Hinc multum aberrat a præcedentibus duobus liquoribus minus non ſolum coagulantibus, ſed etiam ſolventibus, liquiditatem ægregiam conſervantibus, præſertim ex vitrioli

ſubſtantia ubi parati fuerint. Ideo ſpiritus ſubtilis & ros vitrioli dictus, inter Emmenagoga ſalia primum ſibi locum vendicant, ut pote ejuſdem naturæ cum aquis mineralibus & acidulis martialibus, tam decantati uſus in foro Medico, ut pote quæ ab acido Embryonato ſale in mineras allidente producitur. Acidiſſimum quod remanet & fixiſſimum metallicæ materiæ in graviſſimo ſale diſſolutæ naturam obtinet, unde ejus vis auſtera & coagulatoria dependet. Ut mihi olim Auditori videre licuit in curioſiſſimis ſuper hac re experimentis in auditorio, Chemico Academiæ Lugduni Batavorum, quod non infimum illi decus addit, publico cum delectamento obſervatis nunc & olim in praxi facilitandâ utiliſſimis.

An adſtringentia diureſin promoveant merito dubitatur, & an inter adſtringentia nitrum ſit annumerandum adhuc magis? imo an tanta coagulatio ſeri ſuccedat? ex *nitro vel ſali communi in aquâ ſoluto* merito negatur, ſaltem adſtringentia, qua adſtringentia, illa vi non pollent diureticâ, Sed potius hydropem inferrent, & retardationem urinæ cauſarent, ut patet in virgunculis, adſtringentium uſu enervatis, Chloroſi & leucophlegmatia laborantibus.

Hæc autem ſalia muriatica cartharſin movent: & catarrhos promovent, ſemper urinam copioſius ſtimulantes, ita ut in principio catharri

harri acris ſeroſi ad aliquot liberas lotium reddant ægri, idem obſervatur in cereviſiâ tenui *Mol* dictâ; & in vinis levioribus rhenanis, belgicè *Moeſel Wyn*, ac ſpirituali acido inſtructis, ut vinum Campanenſe &c. quæ maximè diuretica ſunt, non adſtringentia, imo plurima purgantia veſ laxantia per excellentiam ſunt diuretica, ut tamarindi, tartarus purus &c. ſed hæc etiam cum cæteris tranſeant erroribus, nempe cum fluore albo ex plethorâ &c.

Obſtupeſco hunc auctorem legens, ubi coagulum globulis ſanguineis inductum vult, ad diureſios productionem, nam ſi hoc foret, cum vitæ periculo fieret, lampas enim vitæ noſtræ in hiſce oleoſis conſiſtit ſphærulis, quas ſi coagulaveris illud cum vitæ divortio fiet, prout ipſe ſufficienter annotavit, in injectionibus mediante ſyringa coagulantibus & necantibus.

Quod refert ibidem de lacte coagulato in ſuis partibus oleoſis, illud pro maxima parte falſum eſt, nam oleoſæ illæ cum aquâ calenti & ſero lactis a cagulo ſeparari, exceptis iis quæ intercepto Chyloſis & caſeoſis partibus induratis ſunt, quod etiam patet in cremoris butiracei collectione, ab ipſo ſero lactis, ſibi commiſſo, ſed illa non ulterius proſequar, quouſque nempe acidum potens vel impotens exiſtat coagulandi olea &c.

Acidorum experimenta ſuper ſyrupum violarum ſicco pede tranſeo, ut pote nihil indicantia, niſi quæ ante hac notata ſunt, ut & ea quæ per ſyringationem, injecta ſunt, adverſantia motuum legibus, nec quid agant remedia, ſed quid impetus præſtet ſyringæ, indicant, nam & ipſe aër, leni tantum impetu, venis inflatus animalia citiſſimè necat, ut pote qui ut Bonii hujus experimenti frequentiâ inſtructi, verbis prog. 4. C: A: utar, *inſtar potentiſſimi coagulatoris, vel alterius veneni, animal necat*: imo ipſi flatus noxias edunt, ſæpius deletereos, effectus, ideoque parvi aut nullius momenti hæc eſſe cenſeo.

Hæc ſunt, Amice lector, quæ a tanti Philoſophi theoriâ, ad rationes, ſi diis placet, Mechanices factâ, expectanda veniunt, cujus perſpicuitatem & veritatem, ſuis coloribus depingere ſum agreſſus, hæc autem fabrica, ſi nimis anguſta videatur iis, qui eruditione Mechanicâ tantum gloriantur, eos velim monitos, ut ſuas ſententias & hypoteſes ſuperbas modeſtius ad naturæ leges & artis opera proponant, ne in errores & devios tramites Medicinæ artem & ſcientiam ſeducant, depoſito omni faſtu & imperio.

Plurimi enim ſunt, qui morborum cauſas vellent ex morbis inveſtigatas, non ex contemplatione hominis Philoſophi conſutas, ubi

cum

cum periculo deterrent alios ab operum naturæ inveſtigatione.

Si ullibi infamis abuſus theoriæ dicendus ſit, ſaltem huc uſque infeliciter ceſſit illa theoriâ, quæ ex nullâ praxi nata, nec ad praxin applicanda venit. Hinc theoretici illi, qui cum laude hanc partem Medicinæ excoluerunt, ut plurimum (ſaltem loquor de præſenti tempore) praxin aut vulgariſſimam tantum proferunt & exercent, vel in ipſa praxi impotentiores ſunt, aut in meram Empyriam incidunt, aut tectè aliorum veſtigiis inſiſtunt, aut novi quid temerario ſatis auſu tentant, ut ſibi conſultant aliis imponant naturæ lutus obſervent diverſo eventu.

Abſurdiſſimum eſt hæc vel cogitare vel dicere de hiſce theorices Auctoribus, ſi ipſis concedi deberet melior morborum intellectus, ut ex inde ſequeretur infelicior morborum curatio, nam unuſquiſque qui in uno rite verſatus eſt, in altero quodammodo fortunatus eſſe debet, præſertim ſi ipſi & morbus, morbi cauſa, ejuſque niſus varius, ac hiſce oppoſita auxilia cognita ſint, ex illâ thëoria & Mechanicâ phyloſophiâ, quod negamus, imo quod ipſa in ſuo opere per negat natura, ut jam demonſtravimus; adeoque nec unam nec alteram ſcientiam concedimus majorem in hiſce quam in aliis, imo minorem ſtatuimus cognitionem in his a natu-

ræ ſcopo aberrantibus, ad ficta quædam commenta vi Medicinæ ſcientiæ applicanda, deviantibus; ex contrario rerum cognitioni uberiori impedimento eſſe talia Mechanica, ut iis placet, præcepta affirmamus. Ex rerum autem cognitione, & operum naturæ per experimenta judicioſâ collectione atque collatione, feliciſſimam medendi Methodum emerſuram, nullus dubitabit, modo talibus inhæreat. Concludimus per experientiam acquiſitam, rationem, verum eſſe theoriæ & praxios fundamentum, ſed non in eo conſiſtere, Medici veram ſagacitatem, ut de morbis ingenioſe judicat, ſuis figmentis undique ac undique armatus, nec cujuſvis eſt operarii, ut cum vilipendio hic auctor nominat practicos Medicos, formulas curationis veras & judicioſas præſcribere, in quibus rite ſeligendis & componendis media pars Medicinæ veræ conſiſtit, multo minus hæc remediorum cognitio, & applicatio ex theorices vel Mechanices præceptis hauriri poſſe, unde tantum garrire, & nihil agere diſcunt homines.

Practici theoria tali deſtituti, an confuſe & importunè multa, ad nauſeam uſque exporrigant remedia plane ſæpius contraria, illud Auctori relinquatur, hæc abſolute de aliis ſtatuenti, qui ſuâ theoria deſtituti ſunt. Sed an melius res agatur apud hoſce, illud profecto

eſſet

esset demonstrandum, saltem nec liquet in hisce superioribus practicis, nec in eorum privatis formulis ad pharmacopolas delatis patet, eidem censuræ, ut credo, subjiciendas.

Melius dixisset, nos theoriâ hac Mechanicâ instructi, methodo & ratione utimur invictâ, ægrosque ad severas geometriæ leges æternas curamus, æque in sanitate recuperanda, quam in morte horrida, assequenda Methodice, ut vivant & moriantur in nomine Domini: vos autem illis adminuculis destituti amethodi, etsi quovis modo curetis absque ratione ac methodo vivunt & moriuntur vestri ægri; ergo penes nos est methodicum imperium vitæ & necis.

Cursum materia Medicæ culpans in iis, qui methodo medendi non satis explorata instructi sunt, aliquo jure id agere videtur, ubi campum nimis amplum & spacioſum percurrunt tyrones: quod Chemici sæpius incusarunt, & adhuc incusant, cum selectum Medicamentorum probant, nam omnia qui novit, nihil fere novit in materiâ auxiliorum.

Sed ex eo velle concludere vagabundam esse scientiam, quæ ex pluribus ac selectioribus remediis acquiritur, nam sæpius pertinacia morborum symtomata non raro cogunt Medicum ad alias vias tentandas Medicas, profecto illud calumniatorem sapit, nam & ipse forsan, in prin-

principio ſuæ praxios adhuc verſans, ad di verſa tentamina variis effectis & viis in ſervientia in ſuis hiſtoriis practicis pergit; u patet ex hoc tractatu; ideoque reliqua omittar non minori reprehenſione digna, ſperans hæ mea ſpecimina ad promotionem ſtudii Medici experimentis & rationibus veris unice tantun acquirendis, inſervitura; inpoſterum Deo opt Max. ſavente, magis utilia exhibiturus.

Sed ne momum tamen agere velle omnin videar, meam, quam breviſſimè potero, hiſc concluſionem & ſententiam, quo ad theorian & praxin, quaſi per aphoriſmos ſubjungam ex quibus unus quiſque dijudicare, inquantun accedam, in quantum ab aliis recedam, po terit.

I.

Menſtruus naturalis in mulieribus fluxus nec in quantitate, nec tempore & loco, ſ rem ſtricte, i. e. ortum, progreſſum & men ſtrui cauſam obſervemus, æqualis eſt; ſed ex cernitur per vaginam uteri, & in variâ ejus parte & ſinu producitur.

I I.

Pondus menſtrui ſanguinis excernendi valdè incertum eſt; tempus excretionis inæquale; qualitas ſanguinis ſtatum humorum ſequitur, qui exiſtunt in hoc corpore, prout nempe hic illeve humor ſpirtuoſus, bilioſus, ſeroſus,

ſali-

alinus, ſanguineus, aut lymphaticus prædominatur.

III.

Accidentia in colore, quædam rutilatio eſt, i bono verſetur in ſtatu, fere eadem, quæ x ſpiritu volatili ſubacido cum ſanguine mixo, experimenti gratia, occurrit, odorem autem ſaporemque a ſanguine nullatenus differre ulgari pleriſque apparet, niſi illud, extrordiuario in caſu, vel rariſſimè contingat.

IV.

Ipſa retardationis & accelerationis menſium ffecta, nunquam ſunt una, multo minus eadem in omnibus; hinc in junioribus & vetuis quamvis extendantur, aut abbrevientur tempora menſtrui fluxus, nec ſtatim vitium occurrit ſenſibile, nec ab ipſo Medico ullæ inveſtigationes vacillantis ſanitatis inquirendæ, ut curandæ ſuperſunt, niſi forſan petita cauſa adſit: hinc etiam menſes adeſſe & abeſſe queunt, nullâ cum apparitione ſive infirmitatis, ive morbi, in tali Machinâ apparentis.

V.

Animi pathemata, per excellentiam, & fulminis inſtar menſes afficientia, deſignant, imo iquidiſſime demonſtrant, menſes aliunde quam mero ſanguine, & ejus plethorâ eſſe deducendos; illud enim, in aliis urinæ nempe & æcum excretionibus, non ita liquet.

Spiri-

V I.

Spirituum & caloris naturalis defectus u menſtruis obeſt, deſignat aliud quid pro ſi mulo menſes ciente requiri, quam meru ſanguinem.

V I I.

Menſium nimius fluxus ab acceleratâ bile, irradiatione ſpirituali viſus copioſus, & valic or in ſuo progreſſu planè definit, ſanguir maſſam aliunde dependere, ut ſuum obtine motum & momenta velocitatis, ſuperans or nia figmenta plethoricâ.

V I I I.

Homo Medicus tanquam miniſter natu vacillantis, læſæ aut depravatæ tantum adv candus, ſibi illud unice proponere cogitur, potius naturam in ſuo opere deviantem, qua recto tramite incedentem intelligat; ideoq levi tantum oculo aſpicit perfecta, & grav imperfecta perfodit naturæ opera, ſenſui nen pe & motui hujus illiuſve Machinæ, deſtru ctionem metuentis, contraria.

I X.

Illud liquet ob impoſſibilitatem theoretic ſcientiæ abſtractè conſideratæ ab ipsâ Medicin practicâ, quæ ad deſperationem potius, quar ad ſpem Medici futuri faceret, ubi abſolutiſſ mè aliquid certi concludere nequit de ver menſtruationis accidentiis, de ultimo opere

ſe

seu progressu destillatorio tantum superficialiter aliqua cernens & dijudicans; quæ & ipsa vulgarissima erroneis judiciis stipat homo, suæ mentis vanitati nimium indulgens; prout in præcedente observare licuit tractatu: nam si absque ullo sensu aut incommodo pergat menstruatio, aut cesset, nunquam Medici auxilium imploratur.

X.

Menses, ante eorundem apparitionem, corpus totum afficiunt, non locum simpliciter, per quem fluunt, manifestissimo indicio illos non oriri a solâ gravitate & præssione sanguinis.

XI.

Immutationes operum naturalium, apparentes in accessu corporum medicamentosorum, & nutrientium arguunt, sanguinem qua sanguinem, nec ejus plethoram sufficere ad phænomenum illud obtinendum, periodicè recurrens, quod & motus menstrui prima indicia sed manifestantia ex inversione motuum in liquidis, altiora loca, puta caput, ventriculum &c. non uterum & depressiora loca occupantibus, comprobant.

XII.

Ipsius corporis habitus maximâ in parte, tempore instantis menstruationis valde mutatus, idem in ipsâ facie demonstrat, aliisque in functioni-

ctionibus alteratis, a ſanguine mero non dependentibus, evincit ſufficienter, ſolum motum eſſe in ſufficientem propulſivum.

XIII.

Regionum, & cæli frigus & calor, differentiam pauciſſimam addens circa menſtruationis opus, idem denunciat.

XIV.

Actiones velociores eo tempore uberrimè inſtantes & apparentes, præſentiam alicujus de novo fabricatæ materiæ præbent. Hæc enim per ſe nec ſponte creari poteſt, quin cum aliquâ nolentiâ emergat neceſſe eſt; hæc autem in motu propulſivo ſolo non ita conſpicitur, ideoque inteſtino opus habet, antequam ex ſuis latebris proſilire poſſit illa portio recenter cuſa ac fabricata, uſui illi adaptanda.

XV.

Principium motus hujus inteſtini, oritur ex ſpirituali ſale motum propulſivum augente, terminatur in eodem, ſed magis emerſo, ſuique juris facto: unde etiam progreſſum ſenſim eundo acquirit hic motus ſemel admiſſus; ceſſat tandem hic motus inteſtinus, ubi moles ſpirituoſi ſalis ad cujuſdam acidi muriatici ſalis figuram tranſiit, motum minus velocem permittentis, materiem ſanguinis ante hac rarefacti leviter condenſantis.

XVI.

Hæc ex ipſis accidentiis & circumſtantiis familia-

miliaribus manifeſtantur in menſtruatione, à principio ad finem obſervatis.

XVII.

Sponte igitur ceſſat & ille motus inteſtinus, quemadmodum omnes motus inteſtini deſinunt, ex ſolius molis & figuræ Mechanicæ alteratione & mutatione, hinc enim & vaſa contrahuntur antehac dilatata, & dilatantur antehac contracta ex ſolo acceſſu & ſeceſſu novæ cujuſdam molis & figuræ, ortu & interitu ſuo gaudentis.

XVIII.

Hic motus an ſpeciali vocabulo aut titulo deſignari poſſit, ut ritè quadret motibus aliis notiſſimis admodum dubitare licet? ut omnis lis inter Phyſicos & Medicos dimoveatur, nam ea perpetua erit, ſi ſtricte ad litteram revocabuntur effecta ſpecialia, ad claram, diſtinctam, ac judicioſam perceptionem hominem cogentia, quemadmodum de primo primis, ſub rem ipſam latitantibus in opere, non niſi levem & imaginariam ſcientiam obtinemus; ſic & ea quamvis plurimum læſerint hominum animos, attamen niſi verba ſcientiis attulere rixoſa, phyſicam nunquam extenderunt generi humano utilem; ideoque præſtat de iis ſilere, quam pauca dicere.

XIX.

In genere autem, motus omnis inteſtinus

æque ac propulsivus, venit a suâ materie, portiones quasdam immersas continente, emersuras, accessu ætheris, aëris, aliusque materiæ distantis ab hac familiari, in suâ figurâ & motu.

XX.

Hæc igitur unde nascatur & progrediatur materia in campum activum prosiliens, facile inquiri potest, in glandulis nempe, utpote in quibus delitescere & commorari potest, pro tempore quieta & mobilis, respectu totius corporis; unde suspensio quædam motuum incidens, periodus; admissio vero ejusdem paroxismus, sive insultus dicitur.

XXI.

Hujus materiæ aptitudo, ab ejus raritate & spiritualitate acquisita dependet, sic enim ad fluorem & velocitatem evecta dicitur fermentum; ineptitudo in ipsâ materiæ densitate consistit, nondum sufficienter liquidæ nec aptæ, ut sese intromisceat humoribus Machinæ, quod apparet in cancro, scirrho, &c. diu innoxiis postmodum deleteriis.

XXII.

Tandem vasorum solidorum nimia adstrictio & dilatatio, hisce duobus effectis ansam ultimam præbet, ut vel menses adsint vel desint ordinarii vel extraordinarii, æquales aut inæquales periodos permittentes.

XXIII.

Ex hiſce natura illius fermenti abunde liquet, ac oppoſitorum remediorum inveſtigatio facilior a curioſo naturæ miniſtro acquiritur ac obtinetur, firmiori ut talo procedat Praxis Medica, hæc enim ad ſequentia nos deducunt poſtulata ex præmiſſis captanda.

1. Prout variant cauſæ & effecta menſium, ſic & auxilia.

2. Ubi effecta ipſa Machinam non lædunt in menſium ſuppreſſione & nimio fluxu, ibi non temere naturam moveat Medicus.

3. Ubi læſio functionum œconomiæ ex utroque caſu occurrit, ibi judiciosè non temerariè menſes ſunt ciendi aut ſiſtendi, niſi cauſam cognoverit Medicus admodum variam exiſtentem; nam ſæpe cruda moveret, vel ipſius naturæ leges ſubverteret, non corrigeret naturæ miniſter, conſilio enim & prudentiâ opus eſt miniſtro, antequam ad opus & res ipſas tranſeat, judicioſe & feliciter tractandas.

4. Cauſarum & effectuum inveſtigatio non celeris, ſed matura ſit, feſtinans enim judicium rarius aliquid boni parit in tali caſu, præcipue in hoc admodum differenti ordine emergente & ſubſiſtente, exſpectando enim etiam res agitur Medica, ubi nempe promotionem illorum operum ſenſim dirigit, non per remedia dicta Emmenagoga, ſed in quovis caſu moderantia,

figuræ enim Mechanicæ, portionumque diverſarum apparito ſapientem reddit Medicum, in opere & eventu feliciorem futurum; ideoque ad medium uſque pergere ſinit actum, antequam inſiſtat remediis moventibus.

5. Per moventia remedia æquè intelligit adſtringentia, quam purgantia, quoniam ipſa adſtrictio nulla bona eſſe poteſt, quin etiam adſit aut præcedat motus in humoribus ad lentorem quendam deducendis, cum figuræ & molis quadam alteratione; & ſæpius ſibi proponit in ipsâ purgante materiâ adſtrictorium finem præſertim ubi materia peccans turgeſcit primo evacuanda; hinc merè adſtringentium uſus aut minor aut admodum limitatus ſit.

6. Cauſæ aliunde ſæpius emanantes; quæ vitium menſium cauſantur, removendæ nunquam per Emmenagoga, ſed per ea, quæ proprie focum aut nidum reſpiciunt, illud effectum producentem; ſic enim partes ſolidæ etiam ab utero remotiores, ut caput, & pectus &c. in cauſâ eſſe poſſunt, & primo curandæ veniunt, antequam aliquid cogitet aut tentet de menſibus ſponte enim ut plurimum fluunt, abſit igitur violentia.

7. Spiritus dicti animales, præcipua conſiderentur inſtrumenta & cauſæ in menſibus eorumque morbis, ideoque ad ſpiritus illos ſeſe dirigat augendos, ſopiendos, meliorandos per

reme

remedia convenientia, primo Gallenica dein Chemica, ſed blandiora, tandem ad volatilia accedat, poſtquam materia præparata fuerit, ut apta nata ſit facili obedientiæ medicamentoſæ ac mere naturali, alias fruſtra omnia tentabit. Sic in principio utitur infuſionibus vel decoctis aqueis, ex floribus & herbis tenui ſucco gaudentibus, fervorem ſpiritualem pacantibus, ſi ex nimiis animi pathematibus proceſſerit æquè ſuppreſſio, quam menſium provocatio, inter quæ vegetabilia, folia Myrti, aurantiorum, & lauri ſunt excellentiſſima ad dragmam circiter, inſtar herbæ thee, infuſa; quibus accedunt flores Chamæmeli, meliloti, & croci ad ℈i vel 2. infundendi; dein cortices aurantiorum curaſſovienſium, ſurinamenſium & vulgarium, cortices ligni ſaſſafras, & radices contrajervæ ad ſemidragmam, ſemina apii Macedonici, petroſelini, dauci vulgaris, & ſi magis exaltare libeat dauci cretici ad ℈ij pro doſi infundenda; tandem etiam fructus amomi, cardamoni, & quæ ſimilis ſunt farinæ ad ℈iv. Hæc infuſio bis de die repetatur, ſic enim ventriculum corroborant, & nervis conducunt remedia liquida, per infuſionem potius, quam decoctionem facienda, utpote in qua ſpirituoſior pars permanet integra, ſpirituoſis portionibus Machinæ communicanda, quæ in decoctione perit.

Poſtquam hæc peregit Medicus tranſit ad tincturas, ſeu extractiones, primo in cereviſiâ fermentante faciendas, utpote magis familiari exiſtente potu; huic etiam adjungit ſubducentia & humores corrigentia Ex. gr.

℞ rad. enul. camp. . . . ℥iß
Chin.
leviſtic.
laur. . . . . aa ℥vj
helleb. nig. . . ℥iij
jalapp. . . . . ℥v
bacc. juniper
ſem. dauc. vulg. . . aa ℥x
folior. myrt. . . . . ℥iß
aurant.
ment. . . . aa ℥ß
Cort. lig. ſaſſaf.
aurant. . . aa ℥vii

M. f. ſpecies pro quartâ parte doli cereviſiæ, ut ordinario potui deſtinetur. Vina enim medicata illud vitii habent, ut nec tam largè aſſumi queant, nec in eodem ſtatu diu perſeverent cum hiſce ſpeciebus, ſemper ad acre acidum quoddam declinantia. Hac mediante cereviſiâ medicatâ, etiam ſucceſſiva quædam & blanda obtinetur alteratio chyloſæ & ſpirituoſæ materiæ.

Loco vinorum medicatorum, ſi ſpirituum

ad

adſit defectus, & lentor in ſanguine appareat, præparetur tinctura ſequens blanda & balſamica in ſua actione, ferociam ſpirituum admodum ſedans.

℞ folior. Myrti foliis minimis, & Mucronalis C. B. P. vulgo roris marini foliis.
pomor. aurant. viridium, & quantum poteſt minimor. . . . aa ℥i
croc. . . . . ℥iß
flor. ſamb.
melilot. . . . . aa ℥iij
lixiv. ſaponar. . . . . ℥vj
ol. mac. exp.
Balſ. peruv. . . . . aa ℈j
ſp. carminat. per præcipitationem rectif. . . . . ℥xx
M. fiat ℳa. S. A. digerendo per diem unum vel alterum.

Nota ſpiritus carminativus ſequenti modo fiat

℞ lign. ſaſſaf. conſciſ.
cort. aurant. . . . . aa ℥ij
mac. nuc. moſc. . . . aa ℥ß
fol. menth.
myrt. ſup. dict... aa ℥x
ſem. aniſ.

carei.
dauc. vulg.
ap. maced.
Bacc. junip. . . . . aa ℥iß
calc. viv.
ciner. clavell. . . . . aa ℥iij
vin. aduſt. gallic. . . ℔ viij

Deſtillentur circiter ad medias poſt macerat. 3. vel. 4. dierum, dein ſpiritui huic abſtracto adde ℥viij. ciner. clavill. ut mediante agitatione ſuperfluum phlegma deponat, & ſimul alcalizetur. Hic ſpiritus etiam in ſalem volatilem oleoſum converti poteſt, ſi præcedentibus addideris ſal. ammon. ℥iv. mira enim præſtant hæc carminativa olea, ſuo balſamo & oleo tenui injurias aëris ac lentorem humorum abſque ullâ ſuperſtite acredine corrigentia & moderantia, quod non ita expectaveris ab aliis, unde etiam præ aliis cum hiſce particulis nobilitata ſint folia Myrti, ideo eorum uſum præ omnibus hic ſuadeo, æque in defectu, quam in augmento menſium peccantium nobile opus ſuum exhibentia, prout & ſequens infuſio in nimia velocitate & humorum ardore eximie valet.

℞ folior. Mirt. latifoliæ Romanæ
Belgicæ
Boeticæ

vel

vel fol. mali granatæ ʒij
terr. japonic. . . . . ʒij
aq. fervent. q. ſ. pro infuſione, aſſumenda inſtar herbæ thee.

Nota doſis tincturæ ſuperioris, & ſpiritus oleoſi a gutt. x. ad xxx. in vino.

8. ubi adſtrictior alvus ſuadet motum, & materia hic illic latitans viſcida, lenta, ſcirrhoſa, depravata exiſtit, etiam ſucceſſive res agatur, non ad violenta remedia tendat Medicus, a laxantibus incipiens infuſionibus, quoniam hæ minus oneratæ materiâ gravi, ſuum naturale proſequuntur opus, ipſoſque humores diſponunt ad lubricitatem quandam, ac motum inteſtinum ſolidi nexus diſcontinuatorem gravem, quæ unica fere eſſe debet intentio Medica: huic rei aſſequendæ convenit miſcela levius purgantium, cum laxantibus & diureticis, quæ peti poſſunt ex fol. ſenn. caſſiâ fiſtula, tamarindis, flor. ſambuci, chamomillæ vulgaris, boraginis, roſarum pallidarum recentium, foliis fumariæ, malvæ, altheæ, hederæ terreſtris, ſed præ omnibus, foliis tenellis perſicorum & floribus eorundem, ut & ſi ventriculo deſit appetitus, ex ceraſis pruniſve recentibus cum foliis tenellis ſambuci, quibus intermiſceantur gratiora aromata, cortic. nempe pomor. chynenſ. citreor. motui illi non adverſantium, & quidem in hac regione ſequens commodiſſima eſt infuſio laxativo-diuretica

℞ folior. tenell. perſicor.
ſambuc.
flor. ſambuc. . . . . aa ʒij
tamarind. . . . . ʒß
corticum pomor. cydon. recentium, ſi haberi poſſint. . . . . ʒiß
cort. citreor.
Chynens ext. aa ℈ij

Cum decoct. prunor. fiat infuſio calide aſſumenda, ſemel aut bis de die, ſic enim blanda evadit ſanguinis maſſa, & fibræ ſolidarum partium induratæ molliores reddentur, & laxabuntur, ſeroque nimio privabitur corpus eo redundans, hiſce ſi opus fuerit: folia ſennæ, Rabarbarum & ſimilia intermiſceri poterunt, verum præſtat in hiſce per aliquod tempus continuaſſe, quoniam hoc modo non tam facile ſuperveniet alvi adſtrictio, quemadmodum ex purgantibus contingit, nec tormina ventris magna ſupervenient.

9. Si integram inſpectes menſium operam, eam extendere poſſis ad integram Medicinam, imo ejus univerſum ſyſtema, ideoque pauca non omnia ſeligere coactus fui, tam opera, quam remedia Emmenagoga quodammodo ſpectantia, quæ ſecundum auctores ex quadam experientiâ, forſan abſque ratione gravi, collecta ſunt; ideoque illa, quæ per excellentiam menſes moventia dicuntur,

cuntur, ſæpius non abſque detrimento adhibentur, præcipue acria, quæ utrique vitio infeſta eſſe ſolent, non ſolum hic ſed etiam fere in quovis caſu Medico, niſi occaſio quædam præceps illud ſuadeat, aut planè dictitet, non ſolum in Chemicis, ſed etiam in Galenicis medendi regulis. Exinde ſabina, ſalvia, ruta, thymus, Zinziber, piper, ſimiliaque acri oleo & ſale prædita, æque vitanda veniunt in principio, imo aliquando in medio, quam Chemicorum præparata nimis calida, una eademque enim illud ſuadet ratio, utraque exſiccant, inflammant, ſenſum & motum augent in materiâ nondum benè diſpoſitâ. Gradus autem horum vegetabilium, ex ſuo opere menſurandi, ita conſiderentur a Medico, ut ſemper ſibi proponat Machinam, non Machinas univerſaliter contemplatas, id eſt, tanquam unâ causâ & effectu ſtricte laborantes; illud enim ſemper ex Scylla in Charybdim deducet.

10. Ad mineralia ubi ire cogitur Medicus, ſemper præ ſe habeat præſentiam mali, cum diſtinctione ſedis propriæ illius vitii, & relatione quadam prudenti partium inter ſe naturaliter & præter naturaliter concordantium: dein obſervet depravationem figuræ & molis a principio mali uſque ad hoc tempus durantis, cum reſiſtentiâ quadam illius effectus contra intentionem medicamentoſam hucuſque pertractatam,

videat-

videatque ſucceſſiones accidentium, ab eo ad hoc uſque tempus, optime notans ipſam diſpoſitionem ſalivæ & humoris gaſtrici in ventriculo, & proxime adjacentibus partibus, alias palpando rem aget; minus oculatus naturæ miniſter.

11. a Subſtantiâ mineræ aut metalli inchoat ubi in primis viis ſalinam & ſpirituoſam prævalere obſervat liquidam ſubſtantiam, aliquando rodentem & vellicantem fibras, ſic enim ſolutionis particeps ſufficientis fit ingeſtus pulvis, minimâ tamen doſi exhibendus, ſenſim illam augendo, prout ex opere ipſo æquum judicat Medicus ut ſimul mortificationem vel hebetationem peregrini humoris obtineat, ſimulque ulteriori in progreſſu vaſa ipſa deobſtruat, liquidiſque humorum texturis meliorem figuram communicet. Sin debilis exſtiterit humor & fibræ minus flexiles cernantur, præſtat ſolutionem craſſam vitriolicam, vel aluminoſam invocaſſe dilutam in magnâ aquæ quantitate, prout ſunt aquæ minerales & metallicæ ſparſim a Galenicis etiam uſurpatæ, & a Chemicis artificialiter imitatæ per illos liquores, quos vocant ſpiritus ſpadanos, optimè autem ſequentem liquorem Chalybeatum volatilem.

℞ limat. mart. ʒj
ſulph. comm. ʒiv

Miſceantur exactè, & reponantur in aëre per

per tres quatuorve dies, ſingulis diebus bis aut ter materiam agitando, cum parva quantitate phlegmatis vitrioli, dein adde olei vitrioli ℥ij phlegmatis vitrioli, aut in defectu ejus aquæ recentis pluviæ ℔iij, deſtillentur ſimul ad ſiccitatem in fine ignem urgendo, refrigeratis ſuperfunde abſtractam aquam & denuo ſtatim abſtrahe, in principio quidem lentè ſed poſtmodum foritus, idque repete adhuc ſemel aut bis, ſic aqua aſcendet ſpirituoſiſſima ſulphurea Chalybe imprægnata, quæ dilui poteſt cum aquâ vulgari pluviâ, ſive coctâ ſive crudâ clarificatâ, imitante naturam aquarum mineralium, præcipue acidularum & ſulphurearum: egregie compeſcit æſtum, adverſaturque depravato motui ex corruptelâ humorum inducto, multumque ſuperat ſalia volatilia oleoſa.

Si deſtillatio hæc nimis tedioſa fuerit, tunc ſufficit irroratio facta bis de die limaturæ & ſulphuris cum rore vitrioli, accedente lævigatione in mortareo ferreo, per circiter quatuor dies in aëre, dein poſtquam ultimo illa lævigatio pultaceæ materiæ martialis per horam circiter ſemis facta fuerit, injice cantharis librarum quinque hujus maſſæ unciam ſemis, ſuperfundendo aquæ convenientis pluviæ philtratæ aut coctæ ſuper arenam albiſſimam libras circiter quinque, agitentur ſimul & poſtmodum occludatur cantharus quieto in loco detinendus, per diem circiter

citer naturalem, dein clarum a ſpiſſo decantetur in aliud vitrum, poſtmodum liquor hic cum cantharo in aquâ calente detineatur, & inſtar aquarum aquisgranenſium aſſumat æger, hæ aquæ enim abſque ullo in commodo aſſumi queunt.

12. Ubi ad ipſam materiam Chalybis, rigidioribus ſalibus adjungendam, properare vult, ob reſiſtentiam nimis magnam partium obſtructarum, ſemper inchoet a ſalibus motui inteſtino obedientibus, ut eſt ammoniacum & tartarus criſtalliſatus aut in cremorem redactus, quibus ipſa limatura ſimul & exaltari & ſolvi poterit, ut momenta velocitatis augeantur, tam in marte quam in humoribus, quod non ita obtineri poteſt per alia ſalia fixiora, motuique inteſtino adverſantia. Huic ut fini magis accedat aëre opus eſt, ſolvente & colliquante illa ſalia, eaque in actionem majorem reducente, ſed non ad tam violentam figuræ mutationem illa cogente, prout Chemicorum ignobiliorum ſolet ignis: ſic tandem poſt varias accidentium mutationes ſubſiſtit tinctura volatilis & tenuis; quæ eſt pars mollis ipſius materiæ rigidæ Chalybis, planè alius indolis quam illa quæ obtinetur per ſolutiones & ignes acido gravi oneratos.

13. Ubi ipſo marte indiget adſtringente Medicus in menſium fluxu nimio, aut hæmorrha-

morrhagiis variis per acida illum tractet fixiora, aut quod melius est per muriatica acido fixo redundantia, motuique intestino adversantia, ut sal ammoniacum fixum, nitrum, sal commune, sic enim rigida & solidior permanet substantia ferri armata stimulo coagulante salino acido, quo etiam per ignem privari poterit crocus dictus martis adstringens, si prævaleat materia salina gravis in primis viis. Idem de aliis mineralibus & metallis, ad usum Practicum invocandis, esto judicium.

13. Metallorum & mineralium usus rarior, fit in Emmenagogis, præcipue ubi vitium illud causam agnoscit extra abdomen, nam potius obsunt quam prosunt similia remedia imprudenter adhibita, diutius continuata, aut malè præparata, unde pessime Chemia sæpius audit, ex culpâ imperiti etiam Galenici flosculos Chemiæ, quasi vero ambientis & illotis suis manibus carpentis. De quibus exhiberi, in abusum infamen tractis, plurima possent, postquam etiam unusquisque Empyricus, Agyrta, Pharmacopæus, lucro tantum inhians ignobili, more suo Chemiam nobilissimam tractare & defædare inchoarunt, quasi sues Minervam postmodum aggredi ausi, ubi ex eorum imperitiâ, & pessimè fundatâ scientiâ, successuum acquirunt, quæ propriè illis imputanda sunt, infortunia. Sed hæc in longius excurrerent, sufficit

cit uſum mineralium eſſe nobiliſſimum, ſimul & periculoſiſſimum, prout & vegetabilium moventium, ut & animalium acriorum; hæc enim nullam admittunt diſtinctionem, nec Galenicis inde major fiducia accedere poteſt; æquè enim delirare, peccare, & neci tradere homines poſſunt, quam Chemici ſuis cum mineralibus, imo forſan crebrius, quoniam vegetabilium & animalium acrium familia, vis & momenta actionum inde emanantium minus adhuc perſpecta a Galenicis ſunt, quam mineralia à Chemicis. Si vero circumſpecte res in vado eſt tenenda, nunquam extra portum navigabit Medicus, cum primo ipſa mineralia ad maturitatem ſeu mollitiem & flexibilitatem, vegetabilium ad inſtar, deduxerit per aërem & ſpirituoſa aquea adminucula, donec per varias efflorescentias punctum maturitatis attigerint debitum, poſtmodum nobiliſſima & tutiſſima hæc facta remedia, ſenſim ac pedetentim offerat hæc Machinæ non admodum percellendæ, ſed inſenſibiliter tractandæ, more naturæ amico, & per minimas procedat doſes. Sic enim nec cruda movebit, nec morbis ſuperaddet morbos, quemadmodum ii, qui crudam Chalybis limaturam auſi ſunt exhibere, ſolent, corrumpentes fluidorum craſin quam maximè conſervandam, vel reſtituendam potius Medico.

15. Si

15. Si tantâ opus ſit cautelâ, in chalybis aut ferri uſu, multo majori indiget Medicus in Mercurii & Antimonii applicatione, utpote majoris ferociæ & promptioris operationis; hinc Mercurius ſuo ſpiritu velociſſimo inſtructus, ſulphureâ indiget materiâ, non autem ſalinâ, in hoc caſu potius noxiâ; ipſa enim Mercurii vis profecto ſubterfugit adhuc pleroſque Medicos, tam Chemicos, quam Gallenicos, invitâ quaſi Minervâ de Mercurii opere pronunciantes, imo abſolutè falſa proferentes & contraria naturæ, operibus, quæ in noſtrâ Machinâ ex ipſo Mercurio conſpiciuntur. Hæc ex profeſſo nunc tradere, paginæ non ſinunt anguſtæ, nec inſtituti noſtri ratio illud fert; ſufficiat nec gravitate, nec levitate, nec aciditate, nec alcalina quadam materiâ in campum prodire operantem Mercurium, ſed cum ex ſuâ figurâ Mechanica velocioribus portionibus armatâ, fermenti adinſtar, res agere ſuſpiciendas, quæ ex nullo emergunt alio remedio huc uſque cognito. Ideoque moderanda ejus eſt potentia, & limitandus eſt actionis mercurialis finis, per ramoſa & oleoſa corpora gravia ſulphurea dicta, eouſque donec fere mitigatus & dulcificatus evaſerit. Sic ea ratione Emmenagogum evadet medicamentum, ubi non in hypochondriis proprie, ſed in glandulis ſalivalibus, meſenterii, aliiſque circa thoracem glandulis & vaſis lymphaticis

hæſerit cauſa mali, cum lentore ſeri & lymphæ maximo. Illud autem monendum liquiditatem quidem promovendam, ſed ad ſalivationem nunquam deducendam eſſe Machinam, eodem planè modo, quo piſtores ſolent, ubi principium fermentationis paſtæ vel maſſæ inducunt, illam ſtatim per clibanum abolentes; & ſic leviſſimum quoddam ſalivatorii motus principium concedi poſſit, nunquam ultra.

Antimonium in uſu practico receptum, etiam apud ſectæ Galenicæ ſubjectos ſervili modo Medicos, præſertim diaphoreticum dictum, tanquam medicamentum inteſtina quam maxime reſpiciens conſideratur, unde ſaburrra materiæ craſſæ hiſce in locis peccans, ab ore nempe ad anum uſque, facile ſubduci poterit, convenitque alvo adſtrictâ laborantibus, & ob id, non ſufficienter defæcatis in tali Machinâ fluidis. Ipſum etiam Antimonium in hoc opere laxativum conſideret, armandum, prout naturæ ægræ requirit, vel ſpoliandum particulis ſalinis, vel ſulphureis, ſic enim cum aceto vini ſimplici aut deſtillato, tartaro crudo, ſale alcalino fixo, oleo quocumque eſſentiali, imo ſulphure vulgari miſceri & exhiberi poterit.

In utriſque his remediis prudens Medicus doſes ſemper minimas crebro repetendas potius offert, quam ut doſi majori unicâ vice procedat, ſic enim lente aſſueſcit natura Machinæ hiſce,

& melius ſubigitur materia medicamentoſa.

16. Ubi ſalia mera in uſum vocare viſum fuerit Medico, ea judiciosè ſeligat, illa ex materiâ ſuâ ponderet; eorum molem, figuram, & motum examinet, eaque cuncta cum ſtatu liquidorum comparet ipſius Machinæ, antequam ad ipſorum uſum Medicum properet. Ab fixis principium fiat, ſive alcalinis ſive muriaticis dictis; in fixis alcalinis parum refert, quæ propriè huic uſui deſtinentur, utpote admodum inter ſe convenientibus ad acidum debellandum; ſed in muriaticis diſtinctione maximâ opus eſt, utpote naturam acidi diverſi moderatè ſequentibus, ut apparet in nitro, ſale ammoniaco, tartaro &c. in hiſce etiam attendendum venit cui ſcopo ſpecificè Medico applicari debeant; ſic enim cremor tartari, pro digeſtivo ventriculi, & laxativo inteſtinorum, ac diuretico renum uſurpari debet: nitrum nimiæ velocitati & ſanguinis liquiditati corrigendæ inſervit, præcipue æſtivis temporibus, & fluori nimio compeſcendo bilis: ſal ammoniacum contra inflammationem ſanguinis & partium ſolidarum, eryſipelate obſeſſarum, abſque diaphoreſeos interceptione ſummopere valet; cui etiam uſui ſal volatile ſuccini, tanquam muriaticum oleoſum adaptari poteſt, fortius tamen ſuo oleo intermixto ſtimulans ſtamina nervacea; ab iſſce fixis lente procedat ad volatilia, ut antehac

indicavi. Illud ſolummodo tandem monendum muriaticorum uſum diutiſſimè abſque noxâ poſſe continuari, quod non ita dici poteſt de alcalinis, tandem enervantibus ſalivam, & humorem gaſtricum.

17. Externa remedia in menſium vitiis ad tria reduci queunt, frictiones, balneationes, & peſſaria.

Frictionis intentio eſt, ut fibræ flexiliores reddantur, & nimis curtæ, ubi exiſtunt, protrahantur, tandemque ut humores intra vaſcula ſtagnantes, de loco dimoveantur, ad circulationem intermiſſam obtinendam: frictionum vices etiam exercitia & agitationes corporis ſupplent, ut removeantur ea, quæ ex vitâ ſedentaria coacervata fuerint, & debilitata in noſtrâ Machinâ.

Balneationis ſcopus idem eſt, ſed præſertim reſpicit cutim & glandulas ſubcutaneas emolliendas & laxandas, præcipue ubi quædam ſpecies leucophlegmatiæ aut Chloroſios, vel maculæ quædam icteriticæ aut ſcorbuticæ invadunt, ut & in ariditate cutis, ſufficientem diaphoreſin negante; ideoque duplex requiritur balneatio humida nempe & ſicca, ut intentioni duplici inſerviat. Balneatio ſicca aut per ignem, ſuſcitatum ex vegetabilibus, aut per fumoſos halitus ſalinos procuratur, ac præcipue per effervescentiam duorum corporum inter ſe colluctantium

tium, halituſque penetrantiſſimos fundentium, quos Mercurios nominant Philoſophorum Chemici, ut fit ex occurſu acidi & alcali, & præſertim ex calce, limatura, ferri & cupri cum aceto, ſale ammoniaco & ſpiritu vitrioli calide confuſis, ut & cum flammâ ſpiritus vini nobilitata cum oleis eſſentialibus aut empyreumaticis. Balneatio humida aptiſſimè cum ſolo tanaceto, vel matricariâ, vel ſabina fieri poteſt immixtis tamen ſalibus, ſtimuli loco, ad majorem penetrationem obtinendam, præcipue ſale ammoniaco.

Peſſaria hodiè in minori uſu, ſunt attamen remedia proxime ad partem ipſam applicanda, inſtar ſuppoſitoriorum, unde ſi ex vaginâ uteri ſola menſium ſuppreſſio ortum habet, neceſſario ſtimulis illis acribus irritatâ uſui eſſe debent nobiliori & celeriori, præſertim ſi hæc eo tempore applicentur, quo ante hac conſueti erant fluxus menſtruales, continuando ſingulis diebus bis aut ter illam applicationem, ad minimum per quatuor aut quinque dies continuos, ſic ſemen naſturtii & ſinapi, mixtum cum ſabinâ, asâ fætidâ & parvâ quantitate euphorbii ſufficient pro peſſariis, quibus ſtimuli loco piper aut zinziber adjungi poſſunt.

Suffumigia cum infundibulo, vel campanâ exipienda per vaginam, locum peſſariorum ſupplere queunt, ubi nempe per fumos quoſdam

acres irritantur fibræ vaſorum, & glandulæ earumque vaſcula excretoria irritantur: huic operi conducunt quam maximè tabacum, ungulæ equorum, ut & raſura ſuccini. Sed notet Medicus horum neceſſarium eſſe uſum, ſi vitium in ipſo latitat utero vel potius ejus collo, tunc enim abſolutæ ſunt neceſſitatis peſſaria & ſuffumigia, imò & injectiones & ſpirituoſis liquidis, vinoſis nempe, extractione quadam nobilitatis.

De Chyrurgicis operationibus ſileo, quamvis & illæ ſæpe requirantur, puta in inflammatione, abſceſſu, coalitione vaginæ, uteri &c. quoniam ex centum vix una aut altera datur, quæ haſce revelare ſolet incommoditates.

Sic quantum potui, brevem tradidi delineationem practici operis, quam extendere potuiſſem, ſi intentio mea fuiſſet mere practica, vel ſi theoriam veram non innixam falſis aut fictis fundamentis operi practico inſervientem ampliſſime tractare & tradere fuiſſet animus; ſed hæc poſtmodum, experientiarum copiâ dives factus exhibere non dedignabor.

FINIS.

INDEX

Præcipuarum rerum.

A.

Acerbum quid. 226

Acida per excellentiam urinas ſolvunt coagulatas. 167

. . . *tenuia humores noſtros fundunt.* 270

Acidorum uſus in morbis calidis. 260. *ſeq.*

. . . *diſtinctio traditur ad experimenta judiciose proferenda.* 276. *ſeq.*

Actio corporum ab eorum ſolubilitate dependet. 257

. . . *ſolidorum fluidi legibus ſubjicitur.* 43

Actiones graves & doloroſæ unde. 217

. . . *Medicamentorum Galenicis minus perſpectæ ſunt, quam Chemicis.* 304

Adſtrictio alvi unde. 228

. . . *quibus modis in Machinâ noſtrâ obtinetur.* 238

Adſtrictionis ſpecies enumerantur. 18. *ſeq.*

. . . . *opus etiam obtinetur Medicamentis ſolventibus.* 240

Adſtringens propriè remedium terra eſt ſale acido inſtructa. 16

Adſtringentia mera caute adhibenda ſunt. 292

. . . non ſunt diuretica. 278
. . . omnia pulſum non deprimunt. 275
Aër quis innoxius. 226
. . venis inflatus animalia cito necat. 280
. . velocitatem ſanguinis auget. 226
Aëris actiones quædam enumerantur. 196
Æquilibrium fluidorum cum ſolidis non eſt cauſa diverſitatis temperamentorum &c. 20
Affectiones morboſæ in ſuppreſſione menſium ſunt motus inteſtini producta. 210
Agirta hippocraticus præfertur Medico rationali a Baglivo.
Alcalia omnes humores non ſolvunt. 267
Alimenta omnia oleo & ſpiritu turgent. 39
. . ſolida non nutriunt niſi ſoluta. 40
. . viliora ſpiritu gaudent efficaciſſimo 37
Alimentorum diverſitas delineatur. 38
Alteratio & ſecretio humorum ut fit. 130
. . . humorum maxima in glandulis. 131
Amara admodum differunt. 255
Amarorum actiones enumerantur. 252
Amaricantia ſunt Emmenagoga. 253
. . . . ut vermibus adverſantur. 254
. . . . ſunt vulneraria. 16
Amarities unde dependet. 251. ſeq.
. . . ſpiritus & ſalis præſentiam nec fixitatem indicat. 250
Ammoniacum ſal & ejus ſpiritus eadem effecta non præbent ſuper ſanguinem. 265

Ammoniaci ſalis uſus in inflammatione. 307
Anatomici omnia manualibus operationibus deberi volunt. 81
Anaſtomoſes inter vaſa uteri & placentæ non dantur. 112
Antimonii uſus ut limitandus. 306
Antiquitas de pluribus rebus nequidem ſomniavit. 49
Aquæ Chalibeatæ præparatio. 300
. . . . . *alia commodior.* 301
Argumentum de morborum ſucceſſione non eſt novum. 45
Arrogantia J. Freind detegitur. 149
Aromata motum inteſtinum promovent. 164
Arſenicum ut ab agirtis adhibetur. 232
Athletica & euſarca corpora hippocratis quæ. 213
Attenuantia non ſunt anodina. 245
Avicennæ & *Helmontii de ſanguine menſtruo ſententia aſſertur.* 101

B.

Baglivus dubitat de ſpiritibus animalibus. 24
. . . *in Chemiam iniquior Chemicis utitur experimentis.* 33
. . . *in curatione morborum unice rationem ſolidi habet.* 43
. . . *ſub fibræ motricis ſyſtema methodicam ſectam recoxit.* 44

. . . *Hippocratis auctoritati seſe ſerviliter ſubjicit.* 46
. . . *ſui ipſius refutator eſt.* 44
Baglivi inconſtantia circa motum cordis. 10
. . . . . *ſpirituum animalium exiſtentiam.* 23
Balneationis ſcopus quis. 308
Balneatio duplex deſcribitur. 309
Bartholomeus de Moor refutatus. 29 *ſeq.*
Bidloo *eſt inventor tertiæ meningis.* 14
Bilis evacuatio non major eſt inſtantibus menſibus. 182
Boyle *in ſolidis abſolutam quietem vix invenit.* 36
Bruta vivipara concipiunt abſque præcedaneis menſtruis. 174

C.

Calumnia in Chemiam data diluitur. 78 *ſeq.*
Calor æſtivus non eſt lentoris ſanguinis cauſa. 180
Cantharides deſtillati præbent ſpiritum alcalinum non veſicatorium. 256
Caſus quartanæ curatæ arſenici uſu. 232
Carminativi ſpiritus deſcriptio. 295
Cautio neceſſaria circa medicamentorum uſum. 233
Cereviſiæ medicatæ deſcriptio. 294

Cephalalgia in menſibus ſuppreſſis non a plethorâ. 217
Chalybis actio duplex explicatur. 173
. . . croci & limaturæ uſus ſit cautus. 174
Charleton fermentorum uterinorum adverſarius noſtro fermento non contrariatur. 118
Chemicus qui inter famulos numerandus. 79
. . . qua ratione pharmacopæus eſt. 16
Chemici per Vulcanum ſapientiam quæſiverunt. 86
. . . ſpiritus & ſales ad actiones corporum advocant. 37
. . . magis perſpecta habent medicamentorum actiones quam Galenici. 304
. . . a juvantibus & nocentibus procedunt in doctrinâ theoreticâ. 93
. . . in opio reperiunt ſpiritum alcalinum volatilem. 244
Chemicorum errores unde. 88
. . . . modeſtia. 72
. . . . Methodus quæ. 86
Chemiam ad pharmaciam plurimi relegant. 69
Chyrurgi extiterunt antiquiſſimi medici. 81
Coagulatio eſt vulgare opus adſtringentium. 238
Coagulum ſeri cum quovis acido factum ab aquâ ſolvitur. 267
Cognitio ſolidorum Medico neceſſaria eſt. 48
Color viridis ut ſit. 268
Coloris viridis productio in ſyrupo violarum non ſemper

ſemper ab alcali. 16
Commenta medicorum de operatione mercurii proponuntur. 271
. . . *Mechanicorum circa augmentum ſanguinis menſtrui.* 108
Commentatorum vitium depingitur. 48
Conformatio ſolidorum non ſemper eadem. 71
Contractio vaſorum quomodo alterat liquida. 22
Copia ſalivæ & ſucci tenuis inteſtinalis alvum ſolutum retinet. 228
Corpus morbo calido detentum motum medicaminis activi admodum exaltat. 248
. . . . . *frigido vix moveri poteſt ab acribus ſtimulis.* 16
Corralliorum tinctura eſt commentum Chemicum. 276
Corrugatio quare adſtrictionis ſpecies. 240
Cortex peruvianus præbet ſpiritum adiaphorum & oleum craſſum. 248
. . . . . *quare cum purgantibus adhibetur.* 16
. . . . . *quando in menſibus ſuppreſſis & hytericis affectibus eſt præſcribendus.* 249
Corticis hujus patroni enumerantur. 249
Crocus martis adſtringens ut præparandus & exhibendus. 303
Curatio menſtrui morborum judicioſa traditur. 290. *ſeq.*

Defe-

D.

Defectus spirituum est vera lentoris causa. 214
Difficultates circa glandularum structuram diluuntur. 127
Diversitas pororum secretionis phenomæna non solvit. 129
Divisio partium in spermaticas & sanguineas nondum probata est. 4
Doctrina proportionis materiæ nondum apud Mechanicos stabilis. 85
Doctrina generalium hypotesium potius ad desidiam quam ad diligentiam stimulat. 92

E.

Effecta portionis sulphureæ peccantis quæ. 59
. . *horum medendi methodus.* 16
Embrionis formatio, potius expansio dicitur. 7
Emmenagoga stricte dicta nulla dantur. 230
, . . . *quæ dici possunt.* 232 *seq.*
Eruptionis & termini mensium causa traditur. 189. *ad* 193
Etmullerus *quare in mensium fluxu nimio præscribit diaphoretica.* 237. *seq.*
Evacuatio periodica in viris non datur. 181
Excusatione quare merentur ei, qui menses alu-

na petunt. 234
Experimenta cum gummosis, terrestribus &c. super humores ut facienda. 166
. . . . *hæc sunt parvi usus.* 16
. . . . *cum decoctis facta quare falsa & inutilia.* 267
. . . . *quæ per injectionem in vasa fiunt parvi sunt usus.* 171. *seq.*
Extravasatio humorum ut prodicitur. 218

F.

Fæminæ dantur non menstruantes. 95
. . . *sunt laboriosæ & robustæ.* 148
Fæminarum imbecillitas vitæ delicatiori adscribenda est. 16
Febres acutæ menstruis erumpentibus non semper solvuntur. 194
Febrium causa. 177
. . . *decursus.* 178
. . . *paroxismus prolongatus lentoris signum est.* 16
Fermentatio quare quibusdam menstrui causa dicta est. 235
Fermentum quid. 116. *seq.*
. . . . *in materia quærendum.* 133
. . . . *ut fluidis admiscetur.* 132
. . . . *quomodo oriatur.* 290
. . . . *cur non extinguatur & unde nutritur.*

tur. 134
Fermenti locus sunt glandulæ glandularum. 132
. . . *exaltatio & perfectio in glandulis.* 16
Fermentorum diversitas unde. 135
Fermentantia omnia sunt laxantia. 227
Fermentabilia spiritu & oleo turgent. 39
Fibræ omnes sunt albæ. 5
. . *glandularum duplices describuntur.* 122
Fluidum animalium ambiens extrinseco debet esse proportionatum. 19
Fluidorum per Chemiam examen inculcant insignes Medici. 33
Fluida ut fiunt solida. 160
. . *motum intestinum inire possunt sub iisdem planis horisontibus posita.* 137
Fluxus menstruus in quibusdam ad senectutem durat. 96
Fœtus non nutritur sanguine materno. 113
. . *non semper debilis fluentibus mensibus.* 16
Folia myrti in mensium vitiis conveniunt. 196
Forma & figura quare neglecta a Mechanicis. 83
Frigus quid agat in corpora. 197
Frixionis intentio quæ. 308
Frumenta turgent spiritu. 39
Fulcra Emmenologiæ J. Freind. *quæ* 234
Fundamentum theoriæ & praxios sunt ratio & experientia. 282

G.

Geometriæ leges ad Machinæ nostræ functiones non possunt applicari. 17. *seq.*
Geometricum illud circum circa *est argumentum incertitudinis.* 85. 96
Glandula unde dicta. 118

vete-

. . . veteribus incognita. 16
. . . non est vasculorum glomeramen. 122
. . . duplici tunica velatur. 121
. . . glandulas possidet. 123
. . . carnea conglobata enodatur. 121 seq.
Glandulæ conglobatæ & conglomeratæ quæ. 119
. . . quæ propriè fermentum continent & elaborant. 124. 131
Glandularum descriptio. 118. seq.
. . . . . divisio. 119
. . . . . inquisitio ardua. 121
. . . . . cavitas & vasa. 124
. . . . . fibræ. 122
. . . . sunt motus glandularum organa. 123
Globuli sanguinei in diuresi non coagulantur. 255
Gravitas & levitas in aliquibus sunt experimentæ in plurimis commenta. 272
. . . . est sal Mechanici ratiocinii. 16

H.

Hæmorragia narium in juvenibus frequens. 161
Henricus Mumdius allegatus. 39
Hippocrates parum de solidis pronunciat, secundum Baglivum. 35
Hippocrati omnia non fuere cognita. 50
Hospitium spirituum in Machinâ nostrâ ubi. 28
Humorum fluctuationes in fæminis majores. 204
Hydragyrum non est alcali. 282
Hypothesis Baglivi nihil novi theoriæ aut praxi attulit. 34
Hypochondria malum cum mensibus suppressis eadem habet symtomata. 200. seq.

INDEX.

I.

Icterus febribus superveniens febrim semper non terminat. 178
Idea osteogeniæ brevis traditur. 6
Impotentia eruendi e corporibus salem non evincit ejus negationem. 90
Imprægnatæ quædam menstruant. 106
Indicationes venæsectionum quæ. 220
Infarctus quando venæsectionem indicat. 222
Infusio laxativo diuretica exhibetur. 298
Infusionis adstringentis & vulnerariæ descriptio. 296. *seq.*
Inspissatio quibus modis obtinetur. 239
Intentio maxima venæsectionis ventilatio est. 225

L.

Lactantes possunt menstruare, & non. 107
L. . . . ex qua causa menstruant. 16
Laxantia quædam sunt diuretica. 279
Lentoris sanguinei causa. 176
. . . . . *non est ejus copia.* 211
Lixivium saponariorum est solvens nostrorum humorum. 165. *seq.*
Locus fermenti glandulæ sunt. 118. 124.
Lotometra unde concoquitur. 39

Lymphaticorum divisio. 126

M.

Macies unde. 171
Machina humana raro admittit propositionem geometricam. 72
Malpigius *laudatus.* 150
Maniacorum vis non solum a solidis pendet. 35
Materia efficacissima quæ. 90
. . . *quæ ratione potens, & impotens.* 261
. . . *a portione fluidâ magis patitur quam v. v.* 53
. . . *& materiæ portiones se mutuo afficiunt.* 53
. . . *quid.* 52
. . . *quæ motus intestinos vix admittit.* 211
Materiæ mors quid. 262
. . . *quantitas.* 52
Materiei quies motus ejus portionibus adscribitur. 16
Mathematici multa gratis admittunt. 2
Mathematica cuncta non possunt applicari ad Machinam nostram. 161
Mathesis limitata est. 2
Mathesi sapientia humana subjicitur a quibusdam. 16
Mathesios abusus & delitiæ in scientiis. 16

Medicus in suppressione mensium non solum respicit vasa uterina. 229
. . . *ad præternaturalia potissime respicit.* 186
Medicastrorum socordia. 74
Medicorum variæ sectæ neglectus pharmaciæ. 77
Medicamenta & alimenta in locis calidioribus sunt potentiora. 157. *seq.*
. . . *linguam vellicantia omnia fibras non contrahunt.* 275
Medici quare fluida respicere debent. 43
. . *duplicem plethoram statuunt.* 138
Medico opera naturæ explicare non ad suum systema contorquere licet. 25
Mechanica scientia in quibus utilis Medico. 82
Mechanici Chemicis dictis coacti accedunt. 198
. . . *garrire, Chemici res præstare docent.* 93
. . . *spiritum non describunt.* 115. *seq.*
. . . *ut fuci & fures sunt.* 216
. . . *Chemicorum methodum.* 37
. . . *ultra solida vix quicquam considerant.* 41
Mechanicæ regulæ pro plethora refutantur. 141. *seq.*
Mechanicorum studia circa pondus & momentum gravium versantur. 83

Menbranarum motus non fit per oscillationem duræ matris. 9

Meningum motus non ab earum textura, sed ab arteriis. 9. *seq.*

Menses quare sponte cessant. 289

Menses aliquando apparent in minorennibus 95

. . *non ex utero.* 166

. . *e vagina fluunt.* 168

. . *proprie manant e vasis excretoriis glandularum vaginæ.* 169

Mensium eruptio non semper secundo septenario. 94. *seq.*

. . . *nec terminus septimo.* 16

. . . *qualitas.* 99. 285

. . . *ortus non a gravitate nec solâ sanguinis pressione.* 287

Menstruatio non requiritur ad conceptum, eundem tamen facilitat. 110

Mercurii actio quo usque concedenda in Machinâ. 306

. . . . *ab ejus figurâ Mechanicâ dependet.* 305

. . . . *ut moderanda.* 16

Mercurius quando est Emmenagogum remedium. 16

Metamorphoses jucundas & utiles fabricat Chemia. 89

Metalla & mineralia ut adhibenda. 300

. . . . . *rite præparata more naturali*

rali Machinam percellunt. 304
. . . . . *eorum usus in suppressione rarior.* 303
Methodum particularium probant Chemici. 91
Methodus Baglivi *est antiqua & contradictoria.* 45
. . . *Medendi statum salinum, serosum, terrestrem.* 63. 65.
. . . *Chemicorum docendi & discendi quæ.* 234
Methodica secta revivisit in Baglivo. 40
Methodicæ sectæ ortus auctores. 44
Morbi remedio non ratiocinio curantur. 72
. . *plurimi manuali operatione tolluntur.* 81
Motus intestinus mensium causa. 173
. . . . . *quis.* 289
. . . . . *quid agit.* 206
. . . . . *qua ratione spiritum præparat.* 27
. . . *intestini ad æconomiam vegetam requiruntur.* 205
Motus propulsivus quid agat. 16
. . . . . *insufficiens est ad menstruationem.* 188
. . . *& sensus non fiunt per tensionem fibrarum.* 13. *seq.*
Mulieres morbo chronico detentæ non semper deficiunt in menstruatione. 107

Muriatica ſalia ut ad experientias ſunt advocanda. 276

. . . . . *& alcalia fixa menſes magis ducunt quam volatilia.* 264

Muſculus non formatus eaſdem cum formato partes habet. 9

N.

Narium hæmorragiæ in juvenibus ſunt frequentes. 161

Neceſſitatem ſolidorum agnoſcunt Medici. 21

Negotium menſtrui fluxus debetur portionibus velocibus. 197

Nervi latos non obtinent poros. 246

Nitrum & ſal commune non ſunt adſtringentia nec ſerum coagulant. 278

Nitri & ſalis ſpiritus dulcis eſt acris non ſubacidus. 275

O.

Omnis repletio mala, ſed panis peſſima, unde. 213

Operis intentio. 3

Opera naturæ unde in campum prodiunt. 53

. . . . *facillima eſſe pronunciant Mechanici.* 84

Opium quid, & laus. 243

. . præbet ſpiritum alcalinum volatilem 257
Opii vis anodina, an in attenuatione conſiſtat dubitatur. 246
. . virtutis explicatio Mechanicorum refutatur. 246. ſeq.
Origo ſpiritus in ſale & ſole quærenda. 3
Ovum per 14. dies per ſe ſubſiſtit antequam matri cohæreat. 114

P.

Paroxiſmus & inſultus menſium quid. 290
Periodus menſium breviſſime explicatur. 288
Perſpiratio negata non eſt cauſa plethoræ. 144
Peſſariorum uſus quando neceſſarius. 309
. . . . modus applicandi. 16
Pharmacopæus quis. 72
. . . . officium. 16
. . . . opprobrium in medicaſtras ventilatur. 75
Phenomæna periodice recurrentia plethoræ exiſtentiam non probant. 175
Plethora non eſt cauſa menſtruationis. 144. ſeq.
. . . ut æquivalet fermento. 215
Plethoræ exiſtentia non probatur per ſtaticam. 143
Pondus mercurii ad aquam varium a variis ſtatuitur. 85

. . *menſtrui ſanguinis quis.* 98
Portiones materiæ quæ. 52
. . . . . *immerſæ quæ.* 205
Portionum diviſio triplex. 54
. . . *alteratio unde.* 57
. . . *qualitas & quantitas ubi reperitur.* 16. *ſeq.*
. . . *actus deſcribuntur.* 54 *ſeq.*
Portioni in compoſitis plurimum debetur. 16
Portionibus adſcribitur motus. 52. 54
Potentia ſpiritus quæ. 27
Præcepta Mechanica quædam examinantur. 153. *ad* 165
Præparatio ſpiritus duplex proponitur. 26
Principia Chemicorum non ſunt imaginaria. 87
. . . . . *a Mechanicis negliguntur.* 77. 87.
. . . *Mechanicarum notionum Medicinam non ſtabilitant.* 84. *ſeq.*
Preſſio perpendicularis pauca in Machina noſtra. 163. *ſeq.*
. . . . . *non eſt cauſa menſtrui fluxus* 165
Procidentiæ uterinæ locus affectus vagina. 166
Proverbium practicum ure, ſeca, *unde ortum.* 82
Pubertas conſtanti tempore non efflorescit. 94
Purgatio ſæpe ſpontanea inſtantibus menſibus. 227

. . . quare in suppressione convenit. 228. seq.
. . . . . in eadem nocet. 229
Purgantium selectus in suppressione qualis sit. 230

Q.

Quantitas materiæ in quibus quærenda. 52
. . . . . momentum non auget portionibus. 155
. . . . sola non est mensura corporis. 141.
. . . . menstrui sanguinis admodum variat. 96. 98

R.

Ratio palpitationis cordis e ranâ avulsi datur. 15. seq.
. . . symtomatum variantium in mensibus suppressis. datur. 208
. . . mensium defectus in vetulis. 193
Ratiocinio Mechanico parum fiduciæ in Medicina tribuendum. 3
Regulæ mathematicorum exceptione non carent. 211
Remedia excogitare Medici est. 73
Res Medica quandoque expectando agitur. 291
Revulsionis apud antiquos tantum valuerunt denominationes. 237

Robur Bajuli non ſolum pendet a ſolidis. 35
. . Ruſtici in bylimo dejectum a pane quare reſtituitur. 36
Ros vitrioli eſt Emmenagogum remedium. 278

S.

Sagdu quid. 39
Sal primarium Chemicorum principium. 88
. . quod corpus Chemicis. 16
. . ex omnibus corporibus erui non poteſt. 90
. . ſolvitur in tribus Ariſtotelicorum principiis fluidis. 88
. . in ſpiritum converti poteſt. 89
Salaces plurimum menſtruant. 103
Salia Alcalia fixa inter ſe conveniunt. 307
. . fixa, & acida ut ſeſe ad materiam Medicamentoſam habent. 259. ſeq
. . mera ut in uſum vocanda. 307
. . rigida ut fiant. 208
. . . . qua ratione Medico conſideranda. 62. ſeq.
. . ut ſeſe ad materiam habent large explicatur. 255. ſeq.
Salvia & ruta ut venenatâ qualitate imbui poſſunt. 256
Saltatrices &c. menſibus non deſtituuntur. 200
Sanitas perfecta non datur. 71
Sanguis menſtruus quare tenuior in junioribus. 109

. . . . *non est optimus & fragans.* 102
. . . *per aliena loca erumpens in mulieribus præsentiam plethoræ non probat.* 218
Sanctorius *sæpius nugatur.* 187
Sapientiam humanam Matheſi subjectam volunt plurimi. 1
Sapo venetus est excellens Emmenagogum. 264
Sapor simplicium vires non indicat. 263
. *acris & amarus præsentiam salis volatis non probat.* 16
Scepti quomodo tractandi 236
Scopus Medicus a Mechanicis, Anatomicis Chemimicis varius proponitur 81 *seq.*
Scorbuticus motus delineatur. 201
Scripta quorundam veterum sub Hippocraticis extant. 47
Secretio humorum diversitati pororum non potest adscribi. 128
Sententia de fermentis non repugnant circulanti sanguini & sensui communi. 134
. . . . *Auctoris circa menses Aphoristice. subjungitur operi.* 284. *seq.*
Serum luxurians ut considerandum. 58
Solida a fluidis orta. 43. 51
Solidæ partes distinctam fluidam materiam continent. 207
Solidorum conformatio non semper eadem. 71
. . . *& fluidorum ratio habenda.* 20
Spergula cujus generis planta. 213

Spiritus quid, & unde dictus. 25
. . *a quibus in dubium vocatur.* 26
. . *a ſcaturigine ſalis & ſulphuris proſilit.* 27
. . *ſuccini acidus eſt.* 269
. . . . *rectificatus colorem rubrum ſyrupo violarum communicat.* 16
. . *immerſi quid reſpectu materiæ.* 256
. . *vini plurimos noſtros humores & albumen ovi coagulat.* 261
. . *in ſalem converti poteſt.* 89
Spirituum origo, ſubſtantia, promotio in ſale & ſole. 31
Spiritus animales unde dicti. 16
. . . . . *quare copioſe glandulis afferunt.* 125
Status Machinæ tenellæ traditur. 189
. . . . . *floridæ.* 190
Stimulus quid. 241
. . . *Mechanicorum eſt idem ac ſal, fermentum, ſpiritus aliorum.* 16
Succeſſio morborum omni tempore obſervata a Medicis. 45
Sudor ſanguineus datur. 186
Suffumigia in ſuppreſſione quare neceſſaria 310
Suppreſſio menſium quid. 102
Symtomata menſium inſtantium denotant motum inteſtinum. 104. 185
. . . . . *non pendent a plethorâ.* 105

opti-

. . . . . optime comparantur ebrietati. 188
. . . . . suppreſſorum cum ſcorbuticis ſunt eadem. 200
. . . . . inconcinnè a plethorâ deducuntur. 202
. . . . . hæc erumpentibus menſibus non ſemper ceſſant. 210

T.

Tartari ſpiritus eſt adiaphoros. 269
. . . . quare ſyrupo violarum leviuſculum virorem imprimit. 16
Temporamentum humidum non poteſt eſſe cauſa plethoræ. 149
. . . . Mechanici eſt phantaſticum magis quam principium Chemicorum. 97
Tendines non alligantur oſſibus. 4
. . . non ſunt productiones oſſium. 6
Termini menſium ad triduum circumſcriptio fallax. 103
Theoria ex praxi orta. 80
. . ſuperſtructa vulgariſſimis notionibus fruſtranea eſt. 16
Theoretico practicum ſpecimen animadverſionibus in Baglivum ſubjungitur. 50. ſeq.
Tinctura Emmenagogæ deſcriptio. 295
Tranſpiratio negata non eſt cauſa plethoræ ſed ei noxia

noxia est. 138. *seq*
Tyro quid observare debet in Anatomicis sectionibus. 34

V.

Vaginæ situs non est causa menstruationis. 150
Vasa non sunt plura utero quam vaginæ. 151
. . . *uterina instantibus mensibus non distendun-tur.* 182
. . . *sanguine bono plena non sunt causa lentoris.* 212
Vasis secretorii descriptio. 126
Vegetatio frequens sub Zona torrida. 22
. . . *quibus debetur.* 54
Vegetabilia plura sponte fermentescunt. 133
Venatio scientiarum varia est. 1
Venarum selectio in venæsectione non omnino negli-genda. 225
Venæsectio est plethoræ medela. 219
. . . . *ob quas rationes instituitur.* 220. *seq.*
. . . . *cur in fine inflammationis.* 221
. . . . *in principio inflammationis.* 220
. . . . *quare refrigerat.* 222
. . . . *Quando periculosa.* 224. *seq.*
. . . . . *vitæ pabulum fustratus.* 225
Venter inflatus mensibus instantibus præbet indicia motus intestini. 188
Ventriculus alimenta ut digerat. 40
. . . . . *solo motu non concoquit.* 41
Vesalii sententia de menstruis refutatur. 163
Vita otiosa menstruationi obest. 199
Vivacitas maxima in animalibus sub Zona torrida 29

INDEX.

Volderus *allegatus.* 41

W.

Willisius laudatus ut practicus. 31

FINIS.